APOLOGIA PRO IMMVNITATE ECCLESIASTICA,

AVCTORITATE CLERI SECVNDARII, AC EIVSDEM PRÆLATORVM IVSSV COLONIÆ VBIORVM EDITA,

Contra

PRÆTENSVM IVRIS CONSILIVM SEV RESPONSVM SVPER IVRE COLLECTANDI CLERICOS AB INCERTO AVTHORE

in immunitatis Ecclesiasticæ ſubuerſionem nuper diuulgatum.

CVI ADIVNGITVR SVMMARIA DEDVCTIO GRAVAMINVM EIVSDEM CLERI COLONIENSIS CONTRA Sereniſs. Principem Neoburgicum, & S. Serenitatis Officiales & Patriæ Status, cum ſuis allegatis, in puncto Collectationum.

1. Eſd. 7. verſ. 23. & 24.

Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli: ne fortè iraſcatur contra regnum Regis, & filiorum eius. Vobis quoque notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, Nathinæis, & Miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.

Cum ſcitu & approbatione Ordinarij.

COLONIÆ, M. DC. XXXX.

APOLOGIA PRO IMMVNITATE ECCLESIASTICA

Contra

Prætensum quoddam Responsum Iuris Immunitatis Ecclesiasticæ subuersiuum.

APOLOGIÆ SVMMARIVM.

NVM. I. *Continetur occasio Apologiæ cum argumentis contra Ecclesiasticam libertatem motis.*

II. *Textus c. Non minus X. de Immunit. Ecclesiarum.*

III. *Textus c. Aduersus X. ibid. de Immunit. Eccles.*

IV. *Ex cap. Non minus Laici absque excommunicatione Clericos non collectant, etiamsi communis per Laicos pretendatur necessitas.*

V. *Ex cap. Aduersus, Laici sine Pontifice Romano, nullo su . . ure collectant Clericos, etiam in communi necessitate, absque excommunicatione, quæ in Successores deriuatur.*

VI. *Ex vtroque præmisso cap. summatim colliguntur requisita ad debitè collectandum Clericos: referturq; eorum cc. genuina mens & sensus.*

VII. *Propositio dicendorum.*

VIII. *Ecclesiæ Dei, personæ Ecclesiastica, ac res ipsarum, iure diuino & humano à Iurisdictione & collectatione sæcularium immunes sunt: rebusq; sacris annumerari veniunt, vt sine sacrilegio Laicis non subsint.*

IX. *Dehortantur summi Pontifices Reges ac Imperatores à rerum sacrarum vsurpatione, subactione.*

X. *Deus constituit Religionem Reginam aliarum virtutum: & Sacerdotes tanquam religionis antistites euexit supra omnem sæculi auctoritatem.*

XI. *Item fecit duo luminaria magna; duas supremas dignitates instituit; quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas.*

XII. *Libertatem Ecclesiæ agnouerunt Ethnici, Reges ac Principes.*

XIII. *Hæretici & Protestantes intactam & incolumem habent Ecclesiasticorum exemptionem.*

XIV. *Iurisconsulti agnoscunt Clericorum præeminentem dignitatem.*

XV. *Qui Sacerdotes Laicali potestati subijciunt, Hierarchiam Christi oppugnant.*

XVI Deus hominem triplici ordini subiecit, quem inuertit, qui ex Laicis ius Clericorum sibi vsurpat.

XVII. Ecclesia ac SS. Canones tradunt Sacerdotes vti Religionis antistites à laicis subiicari ac collectari non debere: imò si ad releuandas communes vtilitates ac necessitates Laicis subsidia conferenda duxerint, ea conferre licitè non poterunt, nisi prius propter quorundam imprudentiam consulatur Pontifex.

XVIII Laicorum de collectandis Clericis ordinationes ipso iure sunt irrita; collectantesq; Clericos Laici Ecclesiæ censuris subiacent.

XIX Pontificum ordinationes confirmatæ sunt per Imperatores.

XX. Infertur Laicis non licere Clericos propria authoritate collectare, vel sub necessitatis prætextu: hanc Clerus examinabit, subsidiumq; suum vltroneum cum Pontificis consensu conferet.

XXI. Priuilegium Ecclesiasticæ immunitatis reale est, respiciens simul bona, possessiones, & fructus.

XXII. Atque hinc in libertatem vindicat primum, quæuis Ecclesiasticarum personarum propria bona, siue acquisita sint censu, siue patrimonialia, aut alias empta, permutata.

XXIII. Per prolepsin refutatur obiectio, & confirmatur præfata sententia.

XXIV. Deinde in Ecclesiasticam libertatem asciscit prædia, curtes, quæcunque Ecclesiæ, Ecclesiasticarumq; personarum bona, suis Colonis ac pachtarijs elocata.

XXV. Contractus initus inter Dominum fundi, & Colonum partiarium est Societatis: vnde sicut socius gaudet priuilegio socij: ita Colonus Ecclesiæ gaudet priuilegio Ecclesiæ.

XXVI Grauato Ecclesiæ Colono, Ecclesia grauatur; vtpote cuius bona minoris elocantur, cuiusque ius enormiter indirectè læditur.

XXVII Coloni Ecclesiarum ab omnibus mixtis & extraordinarijs pro portione sua colonica sunt exempti: eo vel maximè, quòd sint instrumenta & mancipia suarum coloniarum.

XXVIII. Idem obtinet quando Ecclesiasticus aut facit prædia sua coli suis sumptibus per operarios: aut quando paciscitur exemptionē cum Colonis pro illorū portione.

XXIX. Bona antiqua ac fructus Ecclesiarum non sunt censita, nec sunt sub potestate Laicorum.

XXX Idem iudicium est de re cohærente rei Ecclesiasticæ, quod est de re Ecclesiastica: vnde fructus bonorum Ecclesiæ reputantur Ecclesiæ prout ipsa bona; æqualiterque gaudent immunitate.

XXXI Coloni Ecclesiæ nihil soluere tenentur ratione collectæ, quantamcunque partem fructuum percipiant pro cultura: neque eorum colonica portio grauari potest laicorum collectis.

XXXII. Etiam

pecialiter respondetur ad tolerantiam Prelatorum Ecclesiæ, in eodem 6. argumento pro licita per Laicos Clericalis collectationis colore assumptam.

V. *Concluditur rogando Laicales potestates ne sacrilega arrogantia tumidi euertant Dei Ecclesiæ, Sacrique Rom. Imp. calculis approbatam Ecclesiasticam immunitatē, quin potius tanquam Ecclesiæ obedientes filii sartam tectamq; habeant.*

I. PRodijt non adeò dudum hic Coloniæ responsum quoddam Iuris sub prætensa censura Facultatis Iuridicæ Coloniensis typis expressum, in quo *sub num. 9.* asseritur, „ quod Principes sæculares inconsulto Pontifice „ & Episcopo, collectas à Clericis liberè exigere „ possint, quando necessitatem vtilitatem & com„ modum Ecclesiæ concernunt: idque PRIMO: per c. non minus, & c. aduersus de immunitate Ecclesiarum.

SECVNDO: ex hac prætensa causa: Quod Clerici tanquam suspecti remoueri possint, vbicunque ad contributionem onerum faciendam se intromittere vellent.

TERTIO: quod superior Ecclesiasticus, à laicis requisitus, id nollet, vel non curaret.

QVARTO: tum, quia verendum quodammodo illis est, Ecclesiasticos in eis soluendis vrgere argumentum. *c. nouum genus. de decimis*, & sibi mutuo collectas non imponere: sicut de lupis innatum, de lupo non edere, vt vetus est adagium.

QVINTO: tum quia Episcopus & Clericus in pari gradu existunt, eo quod in dictis oneribus pro bono Ecclesiarum suarum contribuere videantur.

SEXTO: quod licet Laicus Ecclesiasticos directè astringere non possit; per indirectum tamen id fieri posse; & hinc esse: Quod Principes sæculares possint Ecclesiasticos ad aliquid constringere causatiuè, subtrahendo scilicet eis redditus & obedientiam. Ex quo *sub num. 14.* infertur: Quod Officiales sæculares poterunt capere fructus, & mobilia Ecclesiasticorum profana, eaque retinere, donec contribuerint in oneribus prædictis: cum hæc per tolerantiam superiorum probentur, ex causa, quod in extraordinarijs oneribus ordinem non seruare ordo sit.

Cum vero cuiuis intelligenti ad oculum pateat *in pref. c. non minus & c. aduersus* (quæ tanquam fundamenta, & bases, illius Responsi totius immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ subuersiuæ sententiæ ponuntur) contra-

rium definiri: hinc pro refutatione præfati consilij ipsorum capitulorum textum subijcere placuit, ne incauti, qui textum non legerunt, in periculosum errorem inducantur.

Textus cap. Non minus extra de immun. Eccles. II.

Non minus in diuersis mundi partibus Consules ciuitatum, " & Rectores, necnon & alij, qui potestatem habere videntur, tot " onera frequenter imponunt, Ecclesiis, vt deteriotis conditio- " nis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone " fuerit, qui legis diuinæ notitiam non habebat: Ille quidem om- " nibus aliis seruituti subactis, Sacerdotes, & possessiones eorum " in pristina libertate dimisit, & ijs alimoniam de publico admi- " nistrauit; Isti verò sua ferè vniuersa imponunt Ecclesijs, & tot " angarijs affligunt, vt eis, quod Hieremias deplorat, competere " videatur: Princeps Prouinciarum facta est sub tributo: siue qui- " dem fossatam, siue expeditiones, siue alia quælibet sibi arbitre- " tur agenda, de bonis, Ecclesiarum, & Clericorum & Pauperum " Christi, vsibus deputatis, volunt ferè cuncta compleri. Iurisdi- " ctionem etiam & authoritatem Prælatorum, ita euacuant, vt " nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. " Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia " prohibemus, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem & " vtilitatē aspexerint, vt absque vlla coactione ad releuādas com- " munes vtilitates, vel necessitates, vbi Laicorum non suppetunt " facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si au- " tem Consules, aut alij de cætero ista commiserint, & commo- " niti desistere noluerint, tam ipsi quam fautores eorum excom- " municationi se nouerint subiacere, nec communioni reddan- " tur, donec satisfactionem fecerint competentem. "

Textus cap. Aduersus Ext. eodem. III.

Aduersus Consules & Rectores ciuitatum, vel alios, qui Eccle- " sias & Ecclesiasticos viros tallijs seu collectis & exactionibus a- " lijs adgrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Late- " ranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi "

> sub Anathematis districtione prohibuit: transgressores, & fautores eorum, excommunicationi subiacere præcipit donec satisfactionem impenderint competentem. Verum si quando fortè Episcopus, simul cum Clericis tantam necessitatem, & vtilitatem prospexerint, vt absque vlla coactione, ad releuandas vtilitates, vel necessitates communes, vbi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, prædicti Laici humiliter & deuotè suscipiant cum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex prius consulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. Quia verò nec sic quorundam malitia, contra Dei Ecclesiam conquieuit, adijcimus vt constitutiones, & sententiæ quæ à talibus vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo vnquam tempore valituræ. Cæterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debet, nullus vario decipiatur errore, vt intra tempus Regiminis sustineat anathema, quasi post illud non sit, ad satisfactionis debitum compellendus: nam & ipsum qui satisfacere recusauerit, & successorem ipsius nisi satisfecerit intra mensem, manere decernimus Ecclesiasticà censurà conclusum, donec satisfecerit competenter, cum succedat in onere, qui in honore substituitur.

IV. Ex c. non minus (quod editum fuit in Conc. Lateranensi sub Alexand. III. Anno 1180.) notandũ cum Viuiano, quod Laici collectas imponentes Clericis, vel Ecclesiis, seu iurisdictionem eorum vsurpantes, si moniti non desistant, sint excommunicati. Rationem subiungit Viuianus, quia Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum iure humano, quinimo diuino à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes. *c quanquam de censibus in 6.* Hinc Laici, qui Clericos vel bona eorum collectant, non solùm grauiter peccant, & Pharaone peiores videntur, qui legis diuinæ notitiam non habebat, & tamen Sacerdotes, & possessiones eorum, in pristina libertate dimisit, vt legitur *Genes.* 47. sed etiam tale quid sub anathematis districtione facere prohibentur. Immò si Laici Clericos, vel eorum possessiones collectare præsumpserint, & moniti desistere noluerint,

luerint, tam ipsi quam fautores eorum, excommunicationi se nouerint subiacere: nec communioni redduntur, donec satisfactionem fecerint competentem, vt in textu ad literam patet.

Ex c. aduersus (quod editum fuit in Concil. Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215. cuique interfuere quinque Reges, Hierosolymorum, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, & Cypri, item Oratores Imperij, alijque Græci Principes, ac Duces, cum mille trecentis Episcopis, Patriarchisque Hierosolymitano, & Constantinopolitano) notandum *primò*: quod Clerici non debeant communibus necessitatibus, vel vtilitatibus subuenire, etiamsi Laicorum Facultates non suppetant, nisi priùs Romanus Pontifex consulatur. *Secundò*: quod sententiæ & constitutiones editæ à Laicis collectantibus Ecclesias sint ipso iure irritæ, nec vllo tempore conualescant. *Tertiò*: quòd Rectores excommunicati ob grauamina præmissa, remaneāt excommunicati, etiam post depositum officium; & successores excommunicati sint, nisi satisfecerint intra mensem: *text. & Viuianus ibidem.* V.

Erroneum itaque, ne quid grauius statuatur, est quod in præfatis c.c. Laicis Facultas detur Clericos absque consensu Pontificis collectandi, etiamsi communis prætendatur necessitas, prout ex communi sententia docet Th. Sanchez *consiliorum moralium lib. 2. cap. 4. dub. 55* Syluest. Couuar. & alij *ibidem allegati* Ex quorum sententia hoc solum ex præfatis capitulis colligitur, quod Ecclesia, Ecclesiasticæque personæ teneantur contribuere pro communibus necessitatibus & vtilitatibus, si subsequentia concurrant; PRIMVM: quod adsit magna, quam soli Laici sustinere non possint, necessitas; vt vlterius probatur *ex Extrauag. Benedict XI de immunit. Eccles.* aut saltem adsit communis, quam soli Laici promouere non queant, vtilitas. Clerici enim & Ecclesia solum tenentur contribuere cum Laicis in subsidium, vbi Laicorum Facultates non suppetunt, vt quoque patet *in d. Extrauag.* SECVNDVM: quod ad collectam eiusmodi imponendam, totus Clerus, vt consentiat, vocari debeat: neque enim sufficiet Episcopus cum Capitulo suo: nam quod omnes tangit particulariter ab omnibus debet approbari. c. *quod oēs de Regul. Iur. in 6.* TERTIVM: quod collecta imponatur consulto Romano Pontifice. ADDE ex Bald. *in l. ad instructiones*, C. de SS. Ecclesijs, cum quo cæteri pertranseunt. maximè Abb. *in d. c. non minus*, Guid. Pap. *qu. 28.* Berous *consl. 38.* & alij: quod ad collectam, in quam iam antea fortè debitè consensum est, soluendam Clerici, & Ecclesiæ cogi nec possint nec debeant, nisi per suum Episcopum, suosque alios superiores Ecclesiasticos. Quibus stantibus S. Mater Ecclesia, mouetur solum ex gratia & benignitate, ad, tempore magnæ necessitatis, suo VI.

modo

modo contribuendum, prout textus *in d.c.aduersus*, etiam monet Laicos, vt humiliter & deuotè suscipiant, cum gratiarum actione, quod à Clericis offertur. Idem sentiunt Host. *in summa de imminut. Eccles § .quibus muneribus num.3.vers. hac vera* Albericus *in d. l. ad instructiones* Marc. Anton. Genuensis *in tractatu de Ecclesia, seu practibilium Ecclesiasticorum quæst. 648.* quem sequitur Sanchez *lib.2.cap.4.dub.55.per totum.* Syluest. Angel. Lopez. Gigas, & alij *ibid sub num.51.& seqq. allegati.* Et hæc est vera mens, & aperta intentio præfatorum *cc. Non minus & Aduersus*: neque ab illa recedendum, vti monent *prealleg. locis* Genuensis & Sanchez.

VII. Quam istorum Capitulorum germanam intentionem proin in hac nostra iuris Apologia, non solum acceptandam, defendendamue; verum etiam vlterioribus suis rationibus confirmandam stabiliendamue; immo, & annexarum suarum pragmaticarum quæstionum, difficultatumque decisionibus exornandam, pro virili eo lubentius suscipimus; quo grauius Clerum eiusque Ecclesias, ac familias, exulceratissimis hisce temporibus, in hoc oppressionis genere, contra ius, ac fas omne, ab eis quoque, quorum patrocinio contra durissimos eorum exactores gaudere debuerunt, vel potissimum in euidentissimum temporalis æternæque salutis suæ dispendium, erronum quorundam, absit verbo asperitas, ductu, molestari, grauari, vexari, non sine acerbissimo mentis nostræ squalore ac dolore cernimus.

VIII. Principio itaq; omnibus in iure vel mediocriter versatis notum est Ecclesias Dei, personas Ecclesiasticas, ac res ipsarum iure diuino ac humano, vti à iurisdictione, sic & à collectatione sæcularium immunes esse: idque per text. expressum, *in d.c. quanquam de censibus, in 6* vbi disertè asseruntur,

„ Ecclesia Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum
„ iure humano, quin & diuino, à sæcularium personarum exa-
„ ctionibus immunes. Cuius ratio traditur *in c. si Imperator dist.*
„ *96.* ad Sacerdotes enim, *inquit textus*, Deus voluit, quæ Ecclesiæ
„ sunt pertinere, non ad sæculi potestates, quas si fideles sunt Ec-
„ clesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas. *Et in c. nulli 12.*
„ *qu.2*; Nulli, *inquit Pontifex*, liceat ignorare, omne quod Domi-
„ no consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel
„ quicquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Do-
„ mino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum. Propter quod in-
„ excusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesiâ, cui compe-

tunt,

tunt,aufert, vaſtat, inuadit, vel eripit,& vſque ad emendatio- "
nem,Eccleſiæque ſatisfactionem, vt ſacrilegus iudicetur, &,ſi "
emendare noluerit,excommunicetur. Rectè VT SACRILEGVS iu- "
dicabitur:Si enim ſacra & diuina ad ius Sacerdotum pertinentia, ſibi nemo abſq; ſacrilegio,irrequiſitis Clericis vſurpat, profectò Sacrilegij reatu ſeſe cõſtringunt,quotquot illa, quæ ad ſuſtentationẽ Sacerdotũ,& Clericorũ ordinata ſunt,ſiue mobilia ſint,ſiue immobilia,vtpote ſacris connumerata &diuinis,priuata authoritate, & niſu ſibi vẽdicant. Videantur D. Thomas 2.2.*q.*99.*ar.*1.*&* 2.& Tho.Bozius *de iure naturali, & diuino Eccleſ. libert. & poteſt lib.*4.*c.*4. Sacrilegium verò in ſe malum eſt, & omnes ex naturali lumine intelligunt,maius crimen committi, ſi quis rem Deo conſecratam vſurpet,quam ſi rem aliam furetur.*Boz.lib.*9.*cap.*7 *& ſeq.*

IX. Bene hinc Pontifex Imperatorem *in d,c.ſi Imperator* monet, ne ſibi vendicet ius alienum,& miniſterium,quod alteri deputatum eſt;ne cõtra illum tendat,à quo omnia conſtituta ſunt. Et Gelaſius Papa *in c.præcedenti*: Duo ſunt, *inquit*, Imperator,quibus Principaliter mundus re- "
gitur:authoritas ſacra Pontificum,& Regalis poteſtas: in qui- "
bus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum; quanto etiam præ "
ipſis Regibus hominum in diuino ſunt examine reddituri ra- "
tionem: noſti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos "
ad tuam redigi poſſe voluntatem. Ad idem facit textus *in c ſollicite.* "
Extra de maioritate,& obedientia.

X. Deus enim Opt.Maximus,vti religionem conſtituit reginam omnium aliarum virtutum, D.Thom.2.2.*quæſt.*81.*art.*1.*ad*1. *& art* 4.*ad* 1: Sic Sacerdotes,quos religionis voluit eſſe antiſtites, omnibus Laicis tanquam Patres,Duces,ac Principes Chriſtianæ militiæ præpoſuit. Et *c. quis dubitet diſt.*96. Quis dubitet,*inquit textus*,Sacerdotes Chriſti, Regum "
ac Principum,omniumque fidelium Patres, & Magiſtros cen- "
ſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius Pa- "
trem,Diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, à quo cre- "
dit non ſolùm in terra,ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe,& ſolui? "
Adde *d.c.ſollicite*, vbi Innocentius 3. Pap. Conſtantinopolitano Impera- "
tori ſic ſcribit: Potuiſſes autem Sacerdotij prærogatiuam ex eo "
potius intelligere,quod dictum eſt,non à quolibet, ſed à Deo, "
non Regi,ſed Sacerdoti: non de Regia ſtirpe,ſed de Sacerdo- "

„ tali prosapia descendenti: de Sacerdotibus, videlicet, qui in
„ Anathot. Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas, &
„ dissipes, ædifices & plantes.

XI. Quibus subiungit: Præterea nosse debueras, quod fecit Deus
„ duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius, vt
„ præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque
„ magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli,
„ hoc est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria,
„ id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas
„ & Regalis potestas: sed illa quæ præest diebus, id est, spirituali-
„ bus maior est: quæ verò carnalibus, minor, vt, quanta est inter
„ Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia
„ cognoscatur *&c. Et paulo post.* Nobis in B. Petro sunt oues Chri-
„ sti commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas, non distin-
„ guens inter has oues & alias, vt alienum à suo demonstraret o-
„ uili, qui Petrum & successores ipsius Magistros non recogno-
„ sceret, & Pastores: vt illud tanquam notissimum omittamus,
„ quod Dominus dixit, ad Petrum, & in Petro dixit ad successo-
„ res eius: Quodcunque ligaueris super terram, erit & ligatum in
„ cœlis &c. nihil excipiens, qui dixit: Quodcunque *&c.*

XII. Hanc Sacerdotum eminentiam agnouerunt Gentes, quæ naturali iure vsæ sunt Hinc Pharao (vt supra *ad c non minus* vidimus) omnibus Iudæis seruituti subactis, Sacerdotes, & possessiones illorum, in pristina libertate dimisit, & eis alimoniã de publico adhuc administrauit. *Gen.* 47. Hinc Artaxerxes, Cyrus, & Darius satrapis suis inhibuerunt, ne Sacerdotibus & Clero Iudæorum collectas imponerent 1. *Esdr 7 & lib. 3. cap* 8. Ethnici plerique, Bozio *de iure Status lib 6 cap. 5* teste, ab Abrahami temporibus libertatem Sacerdotum, & bonorum Deo oblatorum agnouerunt, & intactam reliquerunt. Et Genes *cit. loc.* habetur, quod ex eo tempore, vs-
„ que in præsentem diẽ, in vniuersa terra Ægypti regibus quin-
„ ta pars soluitur & factum est quasi in legem absque terra Sa-
„ cerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. Vide etiam *Leuitico-
„ rum cap vltimum.*

XIII. Quid? quod & Hæretici iurati cæteroquin Ecclesiæ, & Ecclesiastico-

rum

rum hostes, istam Clericorum immunitatem sartam tectam obseruant? Boz. *d. lib. 6. cap. 7.* refert Theodoricum Imperatorem licet Arianum & Hæreticum immunitatem tamen Ecclesiæ, diminuere noluisse: Cui narrationi subiungit Boz. *Surget profecto Barbarus ille Rex, atque Hæreticus in die iudicij, coram tribunali tremendo Christi, & dicet: Quid, petitis vos ad dextram Dei sedere? Hæc vos Catholici Principes egistis, cum vicarijs Christi de quibus ipse dixit: Qui vos audit me audit: qui vos spernit me spernit, quid respondebimus? quomodo intuebimur vultum Christi iudicantis?* &c. Profecto æterna laude dignus est Serenissimus Princeps Elector Brandeburgicus &c Dux Cliuiæ &c. qui sententiæ Imperiali deferens se declarauit Clericos Cliuenses & Marchenses contra & præter intentionem suam collectis & exactionibus grauatos esse, vlteriusque se prouisurum edixit, vt Status Patriæ id quod contra ius ab eis extorserunt, restituant.

Nouerunt & Iurisconsulti nostri Clericorum præeminentem dignitatem, priuilegiatamque immunitatem. Nam Papianus *in l. sunt personæ ff de religiosis &c.* tradit, summam esse rationem quæ pro religione facit, quod scilicet prima, & suprema ratio actionum, sit religio. Pomponius *L veluti ff de iustitia & iure*, posuit primum iuris gentium præceptum esse religionem in Deum. Item Vlpian. *in l. 1 eod tit.* Sacerdotes, vti religionis antistites Magistratui præponit, & primam Reipub. curam in illis constituit. *Et d l. 1. dicit.* Huius studij duæ sunt positiones, publicum & priuatum: Publicum ius est, quod ad statum Reipublicæ Romanæ. Priuatum, quod ad singulorum vtilitatem spectat. Publicum ius in sacris, in Sacerdotibus, in Magistratib. cōsistit: &c. vbi authoritas Sacerdotalis præponitur potestati Magistratus, prout in omnibus gentibus mirabili quadam Dei prouidentia obseruatum, dicit Bozius *d. l. 6. c. 1. & 5.* XIV.

Qui hanc ordinationem diuinam inuertunt, Religionem, virtutum omnium Reginam, pedissequam Imperij constituunt, & Sacerdotes Laicali potestati subijciunt, illi hierarchiam Christi oppugnant, sacra (quod ipsi Gentiles horrendum crediderunt) profanis permiscent, & diaboli se membra constituunt. *c. cum ad verum dist. 96.* portas cœli claudunt, & inferorum aperiunt, seque filios, & posteros suos perdunt. Thom. Bozius *d. lib 6 c. 10.* XV.

Et rectè: Deus enim ordinem in omnibus seruari voluit, & hominem triplici ordini subiecit: primum ordini propriæ rationis: deinde ordini exterioris hominis gubernantis temporaliter vel spiritualiter: demum ordi- XVI.

ordini diuinæ legis, per quam homo in omnibus dirigi debet. D. Thom. 1.2.*quæst.72 art* 4.*& q*.87.*art*.1. Quod contra hos ordines fit, peccatum est; & triplici pœna punitur, morsu conscientiæ, pœnâ humanâ, & pœnâ diuinâ: morsu cōscientiæ quod ordinē rationis læserit, humanâ quod ordinē temporaliter, vel spiritualiter gubernantis turbarit, & diuinâ quod Deum offenderit D. Th. *d.l.* vbi dicit naturale hoc esse, quod ille qui cōtra ordinem aliqnem insurgit, ab ordine, & authore ordinis deprimatur: Nunc cum Deus author ordinis, Sacerdotibus res sacras administrandas, & distribuendas commiserit, vti ex dictis patet; Laicus sine læsione ordinis, sibi in illis nullum ius vsurpare poterit; quod si fiat, ab ipso ordine, & authore ordinis deprimetur D. Th. *d. loco*. & latiùs declarat Bozius *d. lib*. 6.*cap*.9.10. *& seqq*.

XVII. Pia Mater Ecclesia, vt Laicos ab his malis præseruaret, sæpius monet, Sacerdotes, vt Religionis antistites, à Laicis iudicari, & collectari non debere: *c non minus de immunit. Eccles. c si diligenti de foro competenti & c*. 1. *&* 3. *de immunit. Eccles. in* 6. Item *c. quanquam de censibus*: & sub pœnis excommunicationis idipsum passim, vt cit locis videre est, prohibet. Neque vult Clericos in collectationem consentire, nisi Episcopus & Clerus, tantam necessitatem, & vtilitatem aspexerint, vt absque vlla coactione, ad releuandas communes vtilitates, & necessitates, vbi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint conferenda: immo *cap. Aduersus*, omnino propter imprudentiam quorundam vult, vt Summus Pontifex, hoc in casu etiam ante omnia primum consulatur: constringunturque *in d. Extrauag. Benedicti XI.* Episcopi & Clerici, vt attentè caueant ne prædictorum canonum transgressores existant, Laicis inconsulto Pontifice aliquid concedendo.

XVIII. Vlterius declaratur, *in d. c Aduersus* tum omnes alias constitutiones latas, à Laicis collectantibus Ecclesias, ipso iure esse irritas, nec vllo vnquā tempore conualescere: tum Laicos contrauentores excommunicatos manere, licet officium deponant: tum demum successores in officio, excommunicationi subiacere, nisi intra mensem satisfecerint, vt supra visum est.

XIX. Quæ Pontificum ordinationes eo firmius obligare censebuntur, quo maiori authoritate per ipsos DD Imperatores. *in l. placet, c. de sacrosanctis Ecclesiis, & l. priuilegia & subiecta Authentica Friderici Imperatoris cassa, & irrita. c. de sacros. Ecclesiis* confirmatæ sunt.

XX. Ex hactenus deductis patet Laicis non licere, clericos propria authoritate collectare, sub prætextu necessitatis, prout firmat Gloss. *in d. c. non*

minus

minus in verbo, tantam, & *ibid.* communiter DD. & Hostiensis *in summa*. Sed Episcopus, & Clerus, considerata necessitate & vtilitate æstimare debēt, an subsidia per Ecclesias conferenda sint. *d c. non minus vers. nisi & c aduersus vers. verum si quando* Sanchez *consil. moral. lib. 2. cap. 4. dubio 55.* Quod si Laici tantam putent esse necessitatem, vt Clerus eis subuenire teneatur: Clerus verò id neget, non licebit Laicis à Clero subsidium per subtractionem fructuum extorquere; sed superior Ecclesiasticus, Pontifex pro decisione, & Episcopus pro executione adiri debet: argumento *c. nullus Laicus* Calderin. *cons. 2. de censibus.* Anchoran *d c non minus de immunit. Eccles.* Alberic de Rosa. Bald. *ad legem ad instructiones c. de sacros. Ecclesiis*, vbi excommuni tradit, quod Ecclesia compellitur contribuere per Episcopum, non per Laicos. Sanchez *d loco.* Meminerint autem hoc loco Episcopi, quod & ipsi in *c. Clericis E. in 6* moneantur ne in collectationem Laicorum consentiant, in quam sine læsione conscientiæ consentire non possunt; audiant D Thomam *2.2. qu. 43. ar. vlt.* docentem, quod defensio bonorum Ecclesiæ Prælatis, quibus ea commissa sunt, immineat ex necessitate salutis; legant Bozium, *sæpius, citato lib. 6. cap. fin.* enumerantem plures Sanctos Ecclesiæ Præsules, qui ex hac causa sanguinem suum, pro libertate personarum, & bonorum Ecclesiæ fuderunt, & Martyrij coronam adepti sunt. Cæterum ad rem.

Priuilegium hoc immunitatis Ecclesiasticæ reale est, & simul bona, possessiones, & fructus respicit. *c. quocunque & nouerint* 0. *qu. 1. addatur cap. iuxta 16 qu. . vbi fundos c. Ecclesia S. Mariæ de constitut c. Clericis ibi Ecclesiasticasue personas, & bona interdicta potestas de immunit Eccles. eod. lib. c. quod olim ibi de prouentibus bonorum suorum eod. tit. inter Extrauag. commun.* & demum bulla cœnæ Domini. *ibi Ecclesiasticorum bonorum illorumq; fructibus, & redditibus. l. placet. c. de sacros. Eccles.* Grat. *cons. 130 nu. 11. lib. 1.* Decian *cons. 51. nu. 13 & 14.* Ferret *cons 102. n. 13 late.* Cardin. Alban. *de commumt. Eccl n. 10. & seqq* Pegnæ *in Brandusina Gabella* & Bubalus *in Carthaginea 10. Decembris 1578.* Bursat. *cons. 25. n 5* Rota *diuers. decis. 23 n 6 pag. 2* Quinimo dicuntur patrimonium Christi *c. cum ex eo de elect. in 6.* Sancta Sanctorum. *c. nulli 12 q. 2.* Et vsibus cœlestium secretorum dedicata *d l. placet. c. de Sacros Eccles. & ibi, Bald. in 2. & 3 notab.* vt profanis sæculi bonis commisceri non debeant.. XXI.

Priuilegium Immunitatis, libertatis, & exemptionis Ecclesiasticæ, quia non solum personale, sed etiam reale est, respiciens quoque bona, possessiones, & fructus Ecclesiasticorum, contingit imprimis præter Ecclesiæ bona quæ possident, etiam quæuis alia, quæ honesto artificio, atque propria industria acquirunt, quæ annuo censu sibi comparant, quæ ex patri- XXII.

monialibus ipsis adueniunt, quæue extra sordidæ negotiationis casum in suum suorumque domesticorum victum, & amictum, bona fide, aut suo peculio emunt, aut rerum permutatione sua faciunt. Id tenent, & docent præcipui huius temporis Casistæ. Suarez *tom.5. in 3. part. S Thom d.23. 1.4. n.2* . Toletus *suæ summæ l.1.c 29* Reginaldus *lib 9. n 377. & 379.* Georgius Sayrus *lib.3 de censuris cap.21.n 9.* Bonacina *de contract. d.1. q 9 n.6.7.11.* Adde Summistas Angelum *Excommunicat. 7. cas. 12 & 23.* Syluestrum *excommunicat. 8 num. 45. & Excommunicat 20 Item verbo Immunitas 1.n 6 cap. 39.* Caietanum, *verb Excommunicatio cap. 39.* Et Canonistas Panormitanum *ad cap. Non minus Immun. Eccles. n 19. & ad cap. Ex literis de vita, & honest. Clericorum num. 4.* Viuianum *ad cap. Quanquam de censibus in 6.* Felinum *ad cap Ecclesias. Mariæ de constitut. num. 7.* Rationes varias assignant: PRIMAM ex Bulla cœnæ Domini, quod in ea eximantur sub excommunicatione lata, ac soli Pontifici reseruata non solum bona Ecclesiarum ac Ecclesiasticorum beneficiorum, sed etiam EORVM, ipsorummet scilicet Ecclesiasticorum: „ vbi particula EORVM contra distinguitur, ab illa particula Ec- „ clesiarum, & Ecclesiasticorum bonorum, ait Bonacina. SECVNDAM, ex Iure Canonico *vt cap Quanquam* vbi bona Clericorum patrimonialia, sub excommunicatione lata, sed non reseruata eximuntur. TERTIAM, ex authoritate Summorum Pontificum, Bonifacij nimirum Octa- „ ui, qui volens constitutionem Alexandri Papæ IV. eius præ- „ decessoris (quâ statuit Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, ad „ exactiones pro rebus suis proprijs, quas transmittunt, sed non „ negotiandi causa, non teneri) propter multorum insolentiam „ & abusũ pęnæ adminiculo adiuuare, *adiicit* districtius inhibēdo, „ vt nec collegium, nec vniuersitas, nec aliqua etiam singularis „ persona, cuiuscunque sit dignitatis, conditionis, aut status, à „ præfatis Ecclesijs, aut personis, pro personis ipsis aut rebus præ- „ dictis, talia exigat, vel extorqueat, per se, vel per alium suo no- „ mine, vel etiam alieno, & eas ad huiusmodi persoluenda com- „ pellat. Qui vero contra fecerint, si personæ fuerint singulares, „ excommunicationis, si autem Collegium, vel Vniuersitas, Ci- „ uitatis, Castri seu loci alterius cuiuscunque, ipsa Ciuitas, Ca- „ strum, vel locus, interdicti sententias ipso facto incurrant; nec „ ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdi-

cti

cti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie restituant, «
& de transgressione satis fecerint competenter. QVARTAM «
subiungit Reginaldus, vbi supra ex æquitate naturali, cui maxime consonat, Clericum tanquam diuinis Ministerijs consecratum, ac Deo militantem, nec sæcularibus negotijs (*ad Timoth. 2.*) se implicantem, ita eximi à sæcularium exactionibus, vt ne quidem pro patrimonialibus soluere eas teneatur: præsertim cum ipsa naturalis ratio dictet, ad bonum rerum spiritualium concedere plurimum, vt Ecclesiastici quantum fieri potest, liberi sint à potestate Laicorum, quos esse illis infestos semper obseruatum est, ex cap. Clericis, de immunit. Eccles. in 6. ACCEDIT quod «
res eo ipso, quod sunt diuinis vsibus deputatæ, separentur, à sæ- «
culari & profano vsu, vt calices, cæteraque Ecclesiastica instru- «
menta, hoc ipso quod sunt benedicta. Cum igitur Clerici sint «
diuinis vsibus deputati, & consecrati, consentaneum est, vt exi- «
mantur ab vsibus oneribusque sæcularibus, vt quoad suas per- «
sonas, sic & quoad suas res, tanquam comparatas ad sustenta- «
tionem, vitæque conseruationem ipsorum. Hæc Reginaldus. Legatur Conc. Trid. *sess. 25. cap. 20 de reformatione*, ac vt pleraque istius capitis, sic finis potissimum pio affectu, à Christiano & Catholico Magistratu seu principe bene ruminetur.

XXIII. Nouimus, quod fundi, prædia, aut quæuis bona ruralia à plebeis diuendita, & ab Ecclesiasticis acquisita, non quidem absolutè, sed in certis quibusdam duntaxat casibus, plebeiorum exactionibus non eximi ab aliquibus Doctoribus asserantur: v. g. quando iam ante aut reip. functionibus, Principumque fruituribus suppositа fuerunt, iuxta *c. Sanctum 23. q. 8. & l. fin. c. de exact. trib. lib. 10.* aut per statutum sub censu collectarum tributaria facta sunt: Bartolus *in l. rescripto § fin. ff. de mune. & hono.* quem sequitur Salicetus *in l. item nullam .q. c. de Episc. & Cler.* aut à Clerico accessione sui Auctoris non exempti adeuntur: Cynus *in authentica quas actiones vers. Quinto quæro c. de Sacros. Eccles.* quorum omnium vel singulorum intuitu Festas *de collect. part. 4. c. n. 29. & c. 3. n. 17. & seqq.* contendit, rei qualitatem immutatam manere, & ad Successorem transire. Nouimus itidem quod & de ipso, *anno 589. 3. Nou. anno 96. 6. Oct. aliasq; sæpius* cū consensu Archiepiscopi inter Status Colonienses conuentū fuerit; sicut & quod disertis verbis in Comitijs Imp. *Anno 541.* dum ageretur de bonis Rusticorum in Clerum aut Nobilitatem transl. §. Damit auch &c. habeantur:

Doch

„ Doch sollen deren Bawren Güter / so nach Satz dieser Ordnung bei
„ schrieben vnd gesetzt werden/den Obrigkeiten/die sie zubelagen von alters
„ her in ruhigem Gebrauch herbracht/in dieser Anlag anzulegen vnbenom-
„ men/sonder vorbehalten seyn/vnd sonst allen hohen vnd nidern Obrigkei-
„ ten/ Geistlichen vnd Weltlichen/ daß alles an jhren Rechten vnd Gerech-
„ tigkeiten/ vnd altem herkommen vnschädlich vnnd vnvergreifflich seyn.

Hæc,inquam,nouimus:cæterum registro non obstante, (vide quæ infra dicemus num.29.)Ecclesiastici in tallijs, accisijs, vectigalibus, quibusuis etiam Laicorum collectis, contribuere non debent, etiam pro rebus registratis, prout expresse tenet Bald. *in l.placet. c.de sacrosanct.Eccles* qui ibi in hoc reprobat Bartolum: & bene; quia talia statuta & leges contra libertates Ecclesiæ cassæ & irritæ esse debent,*in authent.cassa.c.eod. titul facit l. priuilegia in* §.1.*eod.tit.* Summi Pontifices infra citandi frequenter auctoritate Apostolica prohibent collectas,tallias,accisias, sub adiutorij, mutui,subuectionis,subsidij vel doni nomine,seu quouis alio titulo vel quæsito colore Clericis & Ecclesiasticis personis, & eorum bonis imponi per Principes vel potestates seculares: & contrarium facientes sententijs excommunicationum innodantur.*cap.Clericis de immunitate Eccles lib.6.*Quod autem ex mutatione personæ, mutetur conditio rei, docet Bartolus *in l. per procuratorem. ff.de acquir.hered. in fine sui commenti*: & cum dominium talium rerum sit translatum in personam Ecclesiasticam, ex tali successione non debent tales personæ in talibus subsidijs collectari,pro dictis eorum bonis,iuxta expositionem *d.c.Clericis & authent. item nulla communitas*: super hoc vide *l.fiscus in princ ff.de iure fisci.* & Specul. *de Cleric.coniug circa medium*,ibi,ad euidentiam. Huius numeri sententiam tanquam communem tenet ex professo Guido Papæ *dec.*381. retractans quod quondam in contrarium docuerat *decis* 79. Item Felin.*super decret.lib.*1.*tit.*2.*de constitut.*C. *Eccles.S.Mariæ.*alios prætermitto.

XXIV. Contingit deinde bonorum tum Ecclesiasticorum beneficiorum,seu Ecclesiarum, tum etiam Ecclesiasticarum personarum reale priuilegium, Colonos, Partiarios, Pachtarios,similesq; Ecclesiæ,eiusque personarum ministros:vt tradit Gloss. *in Clement.*1. *in verb.excolendas, de decimis,ibid.* Abb. *n.*10. Zabar.*n.*22. Anchar.*n.*6. Vitalin.*n.*31. Imola *n.*14. Abba.*in cap.ex parte. ibi n.*2.*&* 4.*de decim cons* 268.*n.*4.*vers. Item si simpliciter & cons.*297.*n.*6.*l.*2. Bald.*cons.*31.*col.vlt. vers. vnde Colonus li* 1. Ruinus *cons* 157, *n.*9. *lib.*3. Ferett. *cons.*123.*n.*6. Boss.*tract.crim.tit.de princip.n.*174.*vers quando priuilegium.*Decia. *late cons.*18 *n.*16 Menoch.latissime. *Cons.*276.*n.*7. *&* 8 & multos casus cumulat *casu* 562.*nu.*18. & hanc Gloss. secuta est Rota *decis.*4.*de priuileg. Ros. diuers.*

diuers.decis.13.n.6.pag.2. Vbi etiam dicit quod priuilegium est reale, quando eximuntur in Carthaginen. Decimarum 10. Decembris 1578. & alias sæpe. Hoc enim casu immunitas concessa rebus transit ad quoscunque ad quos res transit *Lætatæ.§.rebus.ff.de censibus* Grillen. *cons.77.n.10 cons.93.nu.12.* Quod pluribus comprobare, necessum duximus.

Primum itaque contractus initus inter Dominum, & Colonum Partiarium est Societatis *l si duobus § in coeunda ff. pro soc. l. si merces. § vis maior in fin.* & ibi Bart.*n.3.& 9.* Fulgos.*nu.15.* Salicetus *nu.4.vers. Item Colonus Partiarius.* Castrens.*n.3 ff. locati* Abb.*in c. propter sterilitatem nu.14. ff. de locat. & in c. tua nobis. sub n.14.vers.10 casu de Decim.* Bart.*cons.156.* Ruin. *cons.71 n.13.lib.2. & cons.151.n.8.lib 4.* Nunc cum socius gaudeat Priuilegio socij *l. si cum seruitus. ff. quemadmodum seru. amitt. arg. cap. pen. de appell.* Gloss *fin in c.10. de iure patron. in 6.* vbi Anchor. *n.5.* notat Gloss. *l.fin. in verb. fratribus C. de muner. & honorib. lib.10.* Gratian. *in puncto exemptionis Coloni cons.130. num.7.* cui consequenter Alciatus & alij eminentissimi viri subscripsere. *Corset. sing.71.* & Mars.*sing.180.* late Surdus *cons.1.lib.3.numer. 8. & in puncto vocationis munerum.* Carol. de Grass. *de effect. Clericatus effect.2. n.184.* Colonus Ecclesiæ gaudere debet priuilegio exemptionis Ecclesiasticis bonis concessæ. XXV.

Et alias libertas Ecclesiæ per indirectum læderetur, quod nullo modo fieri debet, cum id quod directè prohibetur, indirectè concedi non debeat *c. cum quid 39 de reg. Iur. in 6. l. Athletas §. sed & qui. ff. de his, qui not. infam. Gloss. fin. in §. Est autem casus. Instit. de hæred. institut.* fieretque fraus legi, si Coloni Ecclesiæ huiusmodi onere collectarum grauarentur proportione colonica. manifestè enim patet, quod minori pensione, & deterioribus conditionibus locabuntur bona absque exemptione quam cum exemptione: plus siquidem venditur ac locatur res libera quam grauata *l. si venditor. ff. de seru. exp. l. fundi pretium, de contrahen. emptione.* Roland. *cons.61. n.29. lib.4.* Menoch. *cons.136. lib.2 n 6.* Et quis non videat Ecclesiam hoc casu damnum sentire, cum lucrum amittit? *l. 2. §. si quis vers. nam quotiescunque. ff. ne quidem in loc. publ.* Gloss. *in l.1. §.1. in verb. per in integ restit. ff. de itinere actuq. priu.* Bald. *cons.152. lib.1 n.2. v.10* Cùm enim quis amittet lucrum iam radicatum, idem censetur quod de damno. Bald. *cons.386. vers praterea lib.1.* Ruin *cons 95 n.12 per tot. & cons.219 n.6. lib.1.* Castr. *in l 2. §. in fideiussorem n.3. ff. qui satisdare cogantur,* & de communi testatur Iason. *in l. reprehendenda n.10 c. de institut. & substit.* Et certum est, quod ille qui lucrum erat facturus bona sua locando, damnum sentiat late Surd. *decis.270. num.10.* prout lucrum acquisitum vel acquirendum, ex iure diuino si amittatur conuertitur in damnum, Rot. *decis.22. num.15. & 16. pag.3.* æstimaturque XXVI.

 dam-

damnum tam in actu quam potentia Rota *ead. pag. 1. decis. 31. n. 8.* damnum siquidem sentire vel alicui inferre intelligo, quando quis priuatur eo, quod sibi debetur. Si autem Ecclesia hoc casu nostro ratione collectarū, vulgo **In gewin vnd Gewerb** minori precio colonis elocare debeat prædia absque exemptione, ad oculum patet & indubitatum est, quod damnum sentiat; præsertim attento, quod diminutio fructuum, patrimonij diminutio censeatur, cum in eo fructus computentur. Socinus *cons. 93. n. 14. lib. 1.* Eoque maximè in Ecclesia & Clerico, à quo lucrum, etiam acquirendum, auferri non potest. Abb *in c. Eccles. S. Mariæ ante num. 21.* & ibi Dec. *n. 119. & 121. de constit.* Ruin. *in d. cons. 92. n. 13. vers. quinimo lib. 1.* adde Thom. Boz. *d. tract. l. 3 c 7. & l 4. c. 4. 6. & 7.* Vnde & propter hoc damnum Ecclesia læditur, & consequenter intrat dispositio. *cap. fin. de immun. Eccles. in 6. c. quanto de Priuil.* quem textum ad Colonos bonorum Ecclesiæ extendit Bart. *in repet. l. placet c. de SS. Eccl. in fin.* Tanto autem magis læditur Ecclesia, quia Colonus ita grauatus posset ab Ecclesia repetere. Gloss. comm. recepta *in l. hi penes c. de agricol. & cons.* Bart. *in lib. 1. de agricol. & cens.* Bald. *in l si duobus § si in coeunda. ff pro socio, & in l. 1 in 3. not c. de Episc. & Clericis, & in l. 1 nu. 10. C. de iure Emph.* facit *l. si pendente §. si quid Cloacarij ff. de vsufructu.* Et quia Ecclesia vel per indirectum grauaretur, priuilegium exemptionis in Colono militat. Felin *in c. 2. nu 3. de for. compet.* Surd. *cons. 1. n 8. & cons. 4. n. 11. vol. 1.* Card. Tusc. *lit & concl. 138 n. 19. & Prima L. concl. 342. n. 13.* vbi allegat Sylu. *cons. 9.* & plures alios.

XXVII. Accedit quod Ecclesiarum Coloni ab oneribus mixtis & extraordinarijs pro portione sua Colonica sint exempti. *L. 1. c. de agrico. & censit. lib. 11.* qui text. de omnibus Colonis debet intelligi, Luccard. *inter. cons.* Ruin. *cons. 739. n. 6. & 7. lib. 4.* Surd. *cons. 1. n. 9. vers. aliud tamen dicitur vol. 3.* Cuius ratio notanter amplificari potest *ex c generaliter*, vbi fundos & mancipia omnia, Gloss. *16. q. 1.* intelligit ministros & familias. Idem habetur *in l. secunda, c de Episc & Clericis*, vbi Gloss. *in verb. ministeria*; intelligit ministros: Coloni autem donec colunt terras Ecclesiæ, sunt tanquam Mancipia, Ministri, ac Instrumenta fundi, sine quibus possessiones coli non valeant. Zaccard. *d. cons. 739 n. 3. l. 4.* vt vel hoc intuitu merito ab oneribus Laicalium eximantur.

XXVIII. Quod etiam obtinet, quando Ecclesiasticus facit prædia sua coli suis sumptibus per operarios: eo enim casu nihil soluit pro Colonica. Thesaur. *decis. 116. in fin.* & ita etiam firmasse Senatum Mediolanen. asserit Boss *in pract. crim. tit. de Princip. nu. 121.* Item si Ecclesia paciscatur exemptionem cum Colonis pro eorum portione: Menoch: *cons. 561. n. 57.*

Facit

Facit & huc vlterius, quod bona antiqua, & fructus Ecclesiarum non sunt censita neque censeri possunt, cum non sint sub potestate Laicorum, late Bald. *cons.* 31. quæ autem Laicorum erant, & ad Ecclesias peruenerũt, de Catastro tolli debent; quinimo ipso iure sublata censentur Marshabrun. *cons.* 40. *n.* 7. Surd. *cons.* 262. *n.* 29 *vltra med vol.* 2. Ruin *cons.* 117. *n.* 4 *&* 5. *lib.* 4. latissime Graff. *de effect. Cler. effect.* 3. *n.* 27. *&* 38. XXIX.

Præterea: idem est iudicium de re cohærente rei Ecclesiæ, quod est de re Ecclesiastica, *l qua Relig. ff. de rei vindicat.* vbi late in summario, & cum fructus huiusmodi à re Ecclesiæ dependeant, idem de eis iudicatur *c si annis*, & ibi Gloss. *in verb. dependent.* Vbi etiam Anchor. Franc. & Archid. *de iudic. in* 6. & in terminis fructuum est *c. Episcopi* 12. *qu.* 1. Bursat. *cons.* 15. *nu.* 7. Vnde si bona sunt exempta, fructus etiam eodem iure exemptos esse, negari non potest: cum fructus bonorum Ecclesiæ, reputentur Ecclesiæ prout bona ipsa: Et nisi fructus huiusmodi essent immunes, immunitas vana, & infructuosa redderetur; quia vti proprietas ab vsufructu separata inutilis est *l* 3. §. *nec autem ff. de vsufructu*: sic & quota fructuum Colono parum proficua foret, si contributionum exactionibus subiecta esset. XXX.

Eoque maximè quod interdum medietas fructuum, vel ea portio quæ Colonos contingit, non respondeat labori; fructusque intelligantur deductis sumptibus *l.* 1. *c. de fruct. & lit. expens.* & ibi Bart. *in l. fructus*, & DD. cõmuniter, *& l diuortio* §. *impendia. ff. solut. matrim.* Cæterum quod Coloni, Ecclesiæ Partiarij, nihil soluere teneantur ratione collectæ, quantamcunque partem fructuum percipiant pro cultura, tenet ex professo Andr. de Barull. *in l. bipenes, c de agric & censit.* quem refert & sequitur Zuccard. *cons.* 739. *n.* 7. *in fin.* Soccin. *cons.* 119 *n.* 2. *col.* 1. *quod est duplicatum cons.* 217. *eod. vol.* Osald. *decis.* 8. *n.* 3 Et textus est notabilis *in l. Colonos c. de agric & cens.* Vbi exactores tributorum non debent inquietare Colonos, propter tributa non soluta, ne vno puncto vel momento discedant ab agricultura. Marc. Ant. Genuens. *qu.* 536. *n.* 1. Natta *cons* 409. *n.* 6. *&* 7. Cumque idem iudicium habeatur de re Ecclesiæ, ac de fructibus ab ea dependentibus, profectò portio Colonica colonorum Ecclesiæ, quæ quota fructuum dicitur, collectis Laicorum nullatenus grauari potest, vt modo latius deductum est. XXXI.

Ex superioribus sollicitè ac prudenter pensatis sequitur imprimis, quod statutum vel constitutio Laicorum, Colonum pro fructibus, quos ratione sui laboris percepit ex bonis Ecclesiæ, afficere non possit: quia huiusmodi fructus pars rei Ecclesiasticæ censentur Leon. *in thesaur. for. Eccles cap.* 14. *nu.* 6. Deinde non valet statutum vel consuetudo, Das die XXXII.

Geistliche Pächter auff den dritten vnd vierten Morgen / wegen Gewinn vnd Gewerb angeschlagen werden / quia non sufficit in Laico statuente potestatem concurrere respectu personæ Coloni, nisi etiam concurrat respectu rerum, & materiæ super qua fit statutum. late Surd, *cons. 1. n. 9. secundo vero casu, lib. 3* Thom Bozius *d. lib. 4. c. 4.*

XXXIII. Præterea cum Colonus Ecclesiæ ab huiusmodi Laicorum collectis, sit exemptus, vt *in c. 1. de immun. Eccles. & l. 1. c. de Episcopis, & Cleric.* & supra latius firmatum est, non potest cogi ad hospitandum milites vel ad expensas, quæ collectarum occasione fiunt, & causantur, per regulam quod surrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum surrogatur: adde text. *in l. 1. c. de Sacros. Ecclesiis, & c. 1. de immun. Eccles.*

XXXIV. Ac licet Fridericus de Senis *cons. 111.* quem plures secuti. Thess. *decis. 116.* & Menoch. *de arbit. centur. 6. casu 562. nu. 37.* ac alij ab eo allegati, huic nostræ sententiæ reluctari nitantur. Prout eosdem Illustrissimus ac Reuerendissimus D. Vlpius in causa inter Illustrissimum Cardinalem Borromæum Archi-Episcopum, & Clerum Mediolanens. ex vna, & Regem Hispaniarum ex altera parte per Sanctissimum D. N. commissa ipsi Vlpio & alijs Prælatis, vna cum nonnullis alijs Cardinalibus specialiter deputatis in voto suo adducit, ipse tamen Vlpius *in responsione ad 5. Argumentum contrarium* respondet Fredericum de Sen *d. loc.* agere de oneribus realibus, & ita eum interpretatur Festas *de æstimat. & collect. pag. 4. cap. 2. nu. 56.* Ioannes Bott. *cons. 77. n. 31.* & ad idem allegatur Fridericus Rip. *in tract. de Peste in remed. conseruandæ vbertatis n. 127.* & sequitur Natta. *cons. 409. nu. 6. & 7.* Ioan. Baptist. Costa *de portione rata q. 158. nu. 12.* Collectæ vero sunt munus superindictum mixtum & extraordinarium, ad quod Coloni non tenentur, vt supra probatum est. Natta *d. cons. 409. n. 6. & 7.* Eugen. *cons. 96. n. 19 lib. 1.* Glauar. latissime *in suo consilio in hac materia edito n. 87. & sequitur* Grilenzon. *con. 77. num. 24. & cons. 93 fere per totum,* & demum Rota in Corrigien. Gabellæ 27. Nouembris 1602. quæ postea vtraque parte acriter informante confirmata fuit, die 17. Martij, Anno 1603. Deinde Canonizata in Albanens. quartarum coram Iusto 5. Iulij Anno 1604. Thessaur autem *decis. 116.* decisionem suam fundare videtur in consuetudine, quæ corruptela est, *c. quanquam de censibus in 6.* Et Thess. iunior attestatur, in Senatu Pedemontano fuisse decisum, Colonos huiusmodi non teneri ad hospitationem, collectas, vel expensas occasione illorum factas, & ita etiam hodie in ista Prouincia seruari testatur benememoratus Vlpius. Menochius alioquin Doctissimus & Iurisconsultissimus vir sextam hanc centuriam publicauit, postquã occasione Violationis libertatis Ecclesiasticæ

censu-

censuris irretitus fuerat: Vnde præsumendum ac timendum est, ne contra Ecclesiam aliquot virus euomere voluerit: & illa centuria censuram non mediocrem passa est: Eoque maxime quia ex 26. Doctoribus per eundem Menochium contra Ecclesiam collectis, quam plures id non dicunt; quinimo Innocentius, Abb. & Bart. per eundem allegati totum contrarium; & plures alij authoritatem Friderici simpliciter, & nulla ratione suffulti sequuntur. Vnde eo sublato horum etiam authoritas nihil facienda esset. Doctor enim intelligendus est secundum Doctrinam quam allegat. Io. Andr. *in cap cum Nuncius versus finem de testibus* Roman. *cons. 76. column. fin. vers. dico quod Bald.* sexdecim autem pro Ecclesia per eundem Menochium allatis, quam plures alij desunt, vt puta. Io. Menoch. Bertach. Ferret. Festas. Pet. de Vbald. Natta Decian. Grilenzon. Catt. Zuccard. Bursat. Maten. Borgnin. Greffeus ac Leon. Et ad hoc faciunt, dicti illi qui à Bartolo vsque ad præsens tenuerunt opinionem, quod Emphyleuta non posset collectari pro rebus Ecclesiæ, vt demptis adimendis, parti aduersæ, & additis addendis parti huic ponantur rationes, opinio pro Ecclesia verior validioribus & efficacioribus rationibus fundata, crebriorique calculo recepta apparebit. Sic Illustrissimus Vlpius *in d. voto.* Et licet aliqui dicant contra communissimam sententiam & Ius Canonicum expressum, posse Iudicem sæcularem Clericos cogere ad contribuendum; Et tales inquit Sanchez *lib. 2. c. 4. d. 55. n. 38.* non minus offendunt ac perturbant immunitatem Ecclesiæ, quam Consules & Rectores Ciuitatum, de quibus præfata capitula *non minus & aduersus* cõcepta sunt, probaturque *ex c. Clericis de immunit. Eccles. in 6.* Clericis, inquit textus, " Laicos infestos esse oppido tradit antiquitas, quod & præsen- " tium experimenta temporum, manifeste declarant, dum suis " finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena re- " laxant, nec prudenter attendunt, quam sit eis in Clericos, Ec- " clesiasticas ve personas, & bona interdicta potestas. Hinc *in d. c.* non solum excommunicantur Magistratus, sed etiam qui consulunt Clericos à Laicis collectari posse.

Et hinc est quod nouissimæ ordinationes Imperij Germanici velint, vt viri Ecclesiastici vrgente communi necessitate per Episcopos, & Archi-Episcopos suos, non vero per Laicos in quorum territorijs viuunt pro subsidio requirantur, prout ex ordinatione Imperij de Anno 1500. 1512. 1542. & alijs notorium; Et Pijssimus & Inuictissimus Imperator Carolus V. *in ordinatione Imperij de 1544* vlterius agnoscit in collectatione Cleri XXXV.

consensum Sanctissimi *iuxta c. aduersus de immunit. Ecclesia* requiri: qui & in formula Reformationis, quam anno 1548. 14. Iunij Augustæ Vindelicorum, vt paci publicæ consuleretur, exhibuit, saluberrimè seqq. verbis
„ *titulo de disciplina populi* cauit: Principes seculares, & Magistratus ci-
„ uiles Iurisdictionem & libertatem ac immunitatem Ecclesia-
„ sticam, Imperatorum legibus, & sacris Canonibus, Episcopis &
„ Clero tributam ac firmatam tueantur, ipsique conseruent. At
„ hi, qui Prælatos, Ecclesias, eorumque bona & prædia in fidem,
„ tutelam ac protectionem suam recepere, & contra fidem da-
„ tam præfectura, seu protectione sua abusi, Ecclesijs, quas tueri
„ debebant, grauia & iniqua onera ausi fuerunt imponere, æquū
„ est, vt præfecturâ seu tutela, per Cæsareæ Maiestatis Commis-
„ sarios amoueantur. Eis autem qui abusi non sunt, limites & ius
„ præscribantur, vt apertè constet, quid alteri alteris inuicem. Hæc ibi.

XXXVI. Contra has Canonicas & Imperiales ordinationes, si Laici Clericos, collectis & contributionibus suis onerent, easdemque per viam militaris executionis, vel per detentionem fructuum extorqueant, Sphæram suæ actiuitatis excedunt, Regale Sacerdotium despiciunt, & Sacerdotes Deo consecratos, quos tanquam Parentes, Duces, & Principes venerari debent in Iudaicum contemptum inducunt. Th. Bozius *d. lib. 1. cap. 5. & l. 3. c. 2. & 4.* contra pacem publicam, in imperio fundatam, peccant, & coram Imperatore conueniri possunt, qui per viam querelæ aditus pœnali mandato sine clausula huiusmodi attentata inhibere solet, & parti attentanti restitutionem bonorum ablatorum iniungere, prout ex ordinatione Imperij *de Anno* 1526. Vnd nach dem *fol. mihi* 168. videre licet.

XXXVII. Sicuti factum in causa Cleri Coloniensis, contra Illustrissimum Ioannem Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Ducem, contra quem in Imperiali Camera Spirensi Anno 1533. 1. Octobris partibus hinc inde auditis, sententia definitiua lata est: quæ in rem iudicatam transiit, & non solum altememorato Principi, sed etiam eius Successoribus per diuersa mandata paritoria. *Anno* 1540. 1570. 13. *Martij. Item Anno* 1571. 29. *Ianuarij, & 21, Iunij. Item Anno* 1575. *Anno* 1625. 27 *Iunij, & Anno* 1636. 13. *Martij*, in contradictorio iudicio, paritio decreti sub pœna centum Marcarū auri puri iniuncta est, & per eiusmodi sententiam definitiuam, & paritoria decreta à Sac: Cæs: Maiestate iam sæpius luculenter declaratum est, quod Principibus sæculari-

culatibus nō liceat bona Ecclesiasticorum Laicali authoritate collectare.

Et sane qui pro arbitrio suo necessitatem prætendunt, & sub hoc commentitio prætextu Clerum contributionum exactionibus onerant, isti indignè Prælatos Ecclesiæ habent, longeque infra Laicos dejiciunt: vtpote quorum consensum in omnibus contributionibus, iuxta vsitatum Germaniæ morem, requirere debent, prout ex omnibus ordinationibus imperij, & ex quotidiana praxi notorium est. Contra quem vsitatum modum si Laici à Principibus suis grauentur, ad Cæs. Maiestatem tanquam ad sacram Anchoram confugiunt, & se contra pacem publicam grauari conqueruntur: & Sac. Cæs. Maiestas contra Principes, antiquum Germaniæ morem inuertentes, mandata sine clausula decernere consueuit, non obstante quod Principes similem necessitatem prætendant, prout Sac. Cæs. Maiestas ad instantiam statuum Laicorum Iuliæ, Cliuiæ & Montium, contra modernos Principes diuersa mandata pœnalia decreuit, & non obstantibus exceptionibus per Principes oppositis, ipsis innouantibus Principibus paritionem iniunxit: Et libertas Imperij Germanici, in eo consistere dignoscitur, quod Principes Imperij subditos suos, absque consensu illorum collectare, & contributionibus suis onerare nequeant; sicut nec ipse Imperator status imperij, si modo fideles sint, collectare solet, absque consensu requisito, vti ex quotidiana obseruantia notoruim, & ex ijs constat quæ tradit Casp. Klock, *de contributionibus cap. 6: An maioritas votorum in puncto contributionis præualeat.* Quod si ista omnino ita sese habeant, prout habere dignoscuntur, reuera Clerici potiori ratione quam Laici, pro contributione requirendi sunt, eo quod & sine sacrilegij crimine, à Laica potestate compelli non possint, textus & DD. *in allegat. c. non minus & c. Aduersus, de immun. Eccles. & c. Clericis 2. in 6.* Boz *lib. 1. c. 5. & lib. 6. c. 7.* & passim sequitur Sanchez. *d. l. 2 c. 4. d 55. n. 27. per Conc. Later. sub Leone X. Anno 1521. celebratum*; & iure tum naturali, tum diuino, tum etiam humano à collectationibus exempti sint, circa quos proin obseruandum venit, quod, vt notat. *cit. loc. sub n.* 142. Caspar. Klock, maior pars in approbatione collectarum suo voto nō possit præiudicare minori parti exemptæ. XXXVIII.

Præterea ex ordinatione SS. Pontificum quotannis promulgatur, Bulla cœnæ de nouo, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, prohibens personas Ecclesiasticas à Laicis collectari, vel vllo modo grauari: Bulla sic habet: « Quiue collectas decimas, taleas, præstantias, & « alia onera Clericis, Prælatis & alijs Ecclesiasticis personis, ac « eorum Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum beneficio- « rum. XXXIX.

„ rum Ecclesiasticorum bonis illorumq; fructibus, redditibus, & „ prouentibus huiusmodi, absque simili Rom. Pontif. speciali, & „ expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis „ exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se vel per alios directè vel indirectè prædicta facere exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, „ aut status, etiamsi Imperiali aut Regali, præfulgeant dignitate, „ seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, aut alij „ Potentatus, quicunque etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus „ & terris, quoquomodo præsidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti innouantes decreta super his per sacros „ Canones tam in Lateranensi nouissime celebrato, quam alijs „ Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis. Ad quam bullam cum Bonacina notandum, quod actiones quæ in hoc Canone interdicuntur, aliæ sunt Principales, & aliæ accessoriæ. Principales sunt tres videlicet tributa, seu onera imponere, & exigere, & imposita recipere, etiam à sponte dantibus: Accessoriæ sunt præfata per se vel per alios, directè vel indirectè facere, exequi vel procurare, aut in eisdem consulere, auxiliari vel fauere.

XL. Et idem Bonac. *de censur. Bullæ cœnæ, d. 1, q. 19 p. 1.* subiungit: materiam huius censuræ esse sacrilegium, quo immunitas Ecclesiast. offenditur, siue id directè vel indirectè fiat sub quibusuis etiam exquisitis modis: Cum enim personæ Ecclesiæ, earumque bona, cum bonis Ecclesiarum ipsis seruientibus immunes sint à Laica potestate, nec directè nec indirectè immunitas hæc offendi debet, sub quouis etiam exquisito modo. Quod clarius Bulla exprimit. *in §. præcedenti*, cuius tenor sequitur. *Et qui Iurisdictiones seu fructus, reditus & prouentus, ad nos Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione vel causa sine Rom. Pontif. vel eorum ad quos de iure pertinent expressa licentia sequestrant, præfatis scilicet censuris subijciantur.* Rationem sacrilegij assignat, quia sacrilegium committitur dum vsurpantur bona Ecclesiastica, quibus Ecclesiæ Ministri ad propriam sustentationem, & ad temporalem cultum indigent *c. sunt qui opes & c. quisquis*

quis 17. *quæst.* 4. *c prædia, & c. indigne* 12. *quæst.* 2. & nos supra *Num.* VIII.

Idem *d.d.* 1. *q.* 19. *p.* 4. tradit bonorum Ecclesiasticorum inuasionem, & vsurpationem, non solum in bulla cœnæ vetitam esse, verum etiam iure communi pluribus in locis, vt *in conc. Tribur. cap.* 7. *Concil. Aurel.* III. *cap.* 22. & *Concil.* V, *c.* 15. *in Concil. Parif.* 1. *cap.* 1. *Mogunt. cap.* 6. & 11. *VVorm. cap.* 75. *Aquisgr. c,* 88. *Lateran. sub Leone* X. *sess.* 9. & 10. *cap prædia, & seqq.* 12. *q.* 2. *c. attendendum est.* 17. *q.* 4. *c. conquestus, de foro competenti cap generali de electio. in* 6 *c. vnico de iniur. & dam. dat. in* 6. In quibus textibus prohibetur vsurpatio iurisdictionis Ecclesiasticæ, iurium, & bonorum tam mobilium, quam immobilium Ecclesijs applicatorum, etiamsi Ecclesia vacet. XLI.

Et instar omnium accessit decretum Concilij Trid. *sess.* 22. *cap.* 11. & *vlt.* vbi strictissimè cauetur, *ne quis alicuius Ecclesiæ vel beneficii, vel loci pii bona mobilia, vel immobilia, census ac iura, etiam feudalia & Emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quæcunque obuentiones, quæ in Ministrorum & Pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios quauis arte vsurpet, vel impediat, ne ab iis percipiantur ad quos iure pertinent*, idque sub pœna excommunicationis. Bonac. *d l.* XLII.

Qui Bonac. *d. q.* 19 *punct.* 3. § 2. ex prædictis infert consuetudine induci non posse, vt Ecclesiasticis tributa, & onera, à Laicis imponantur: quia Ecclesiastici iure diuino liberi sunt ab huiusmodi oneribus à Laicis imponendis: nulla autem consuetudo legitima, contra ius diuinum induci potest, sed corruptela est. Quod planum est *ex c. quanquam, de censibus in* 6. *v. volentes*; videantur *in d c. quanquam, & cap. nouerit. de sent excom.* Butz *nu.* 4. & 8. Anchor. *nu.* 3 Abb. *sub nu.* 1. *in c. cum Terra de elect. & ibi Gloss. in verb consuet.* Hostien. *in princ.* Card. & Imol *in* 1. *not.* Gloss *penult. in fin. in c. fin. de constit.* & ibi, Io. Andr. *sub num.* 28. Abb. *sub num.* 5. *vers vlt.* Quod habet locum quantocunque tempore consuetudo huiusmodi obtenta fuerit. Gloss. *in c. Clerici de Iud.* vbi etiam Hostiens. *in fin.* Innoc. *in c.* 1. *n.* 1. *de immun. Eccles.* vbi Io. Andr. *n.* 2. & Abb *q.* 6 *n.* 3. Euerh. *cons.* 42 *n.* 38. Card. Tusc. *lit. L conclus* 342. *n.* 120. & *seq.* Tradit quoque Boz *d lib.* 6 *cap.* 7. nullam in contrarium cõsuetudinem valere, licet illa sit immemorialis: Ea enim contra Ecclesiasticam libertatem non suffragatur, cum sit Ecclesijs onerosa *c.* 1. *de statut. & consuet. contra libertatem Eccles. in vsibus feud.* & ibi Aluar. & Petr. Rauen. *in p. de consuetud. Authen. cassa & irrita c. de Sacros Eccles.* Vbi Bella. Pert. & Castr. *nu.* 10. Et est communis DD. conclusio, quod nulla consuetudo Laicorum valeat contra Ecclesiam, *text. in cap.* 1. *de consuetud.* Abb *in cap. Ecclesia S. Mariæ in* 1. *lectura col. pen.* & ibi Felin. *col.* 24. *vers quinto quæro de constit.* allegat etiam modernos *in cap. fin. de consuetud.* Marc. Ant. Genuens. *practicab. Ecclesiast. qu.* 163 *nu.* 2. & *q.* 315 *nu.* 1. 2. & 3. maxime in materia per se mala, quale sacrilegium est, vti supra *num.* VIII. & *alias vidimus.* XLIII.

D Hinc

XLIV. Hinc non valet consuetudo, quod Coloni Ecclesiarum collectentur, vulgo in Gewin vnd Gewerb; de quatuor ingeribus terræ arabilis scilicet tantum persoluant, quantum alias Coloni Laicorum, ac propria bona, ac domos possidentes, de vno in collectis persoluere coguntur; prout hodiernis temporibus perperam ac male, à quibusdam superioribus vsurpatur ac practicatur *text. in c. 1x. de consuetud. c. cum venerabilis cap. cum inter. eod.* ac communiter Canonistæ ibidem: ac ratio est, ne propter aliquod damnum Ecclesiæ libertas tollatur; & consequenter intrat dispositio *cap. fin. de immunit. Eccl. in 6. c. quanto de priuilegiis*: prout hunc textum ad Colonos Ecclesiæ extendit Bart: *in repetit. l. placet. c. de Sacros. Ecclesiis in fin.* vti & supra *Num. XXVI.* notauimus.

XLV. Et hæc iura supra adducta recepta sunt in Archidiœcesi nostra Coloniensi per statuta synodalia D. Engelberti Archiep. *Anno 1266. 6. Id. Maij fol. mihi 19. & seq.* Per quæ statuta synodalia excommunicatio latæ sententiæ decernitur, contra omnes, & singulas personas, & pœna interdicti cōtra communitates, quæ immunitates Ecclesiarum ac personarum Ecclesiasticarum, quoquo modo offendunt, easque ad Laicorum tribunalia trahunt, vel in eas Iurisdictionem vsurpant, bona Ecclesiarum onerant, vel Laicali authoritate arresto supponunt. Quæ statuta synodalia, ne quis ignorantiam prætendere posset per diœcesin promulgata typis commissa & in lucem data sunt, prout à *fol. 19. vsque ad 33.* videre licet: & ne quis prætendere posset, eadem per contrarium vsum sublata esse, per successores Archiepiscopos, & in specie per Hermannum *in Conc. Prou. anno 1536.*
„ *cap. 20 fol. mihi 393.* confirmata sunt: Immmunitas Ecclesiastica, *in-*
„ *quit textus*, vetustissima res est, iure pariter diuino ac humano
„ introducta, quæ in duobus potissimum sita est: Primum, vt
„ Clerici eorumque possessiones ac bona, à vectigalibus ac tributis, alijsque muneribus Laicis libera sint, *ex concil. Lateranens. 4. non minus, & ex generali c. aduersus de immunit. Eccl. ex Concil. Tolet. c. Ecclesiarum seruos 69 c. 12. q. 2. ex Genesi 47.* Item per Adolp. 3. *Anno 1549. cap. Ne Coloni*
„ *Ecclesiarum fol mihi 453.* vbi Archiepiscop omnibus Magistratibus mandat,
„ vt libertatem, priuilegia, & immunitates Ecclesiasticas seruent illibatas, si anathema, & animæ damnationem velint euitare.

XLVI. Cum itaque Laici Clericos sine crimine sacrilegij, & citra censuras Ecclesiasticas collectare, vel etiam ad collectas constringere nequeant, quouis etiam exquisito modo; hinc in Conc. Vienn. iniunctum est Ordinarijs, vt in diœcesibus suis publicent, aut à suis publicari faciant, sententias excommunicationis & interdicti, à iure prolatas, contra eos qui ab

Eccle-

Ecclesijs earumq; personis, & rebus collectas extorquent, vt notat Mart. *tr. de iurisd p 4. cent. 1. c. 11. n. 12. & 21.* Et Tho. Sanch. *l. 2. c. 4. d 56.* concludit mortaliter peccare Episcopos, qui non denunciant excommunicatas Personas, & Ciuitates interdictas, quę à Clericis verbis præceptiuis collectas petunt; idque ob periculum animarum, quod versatur in prædicto casu. Sanchez *cons. mor. d. l.* vbi præcedentia firmat per DD. alleg.

Hinc in vsitata Ecclesiæ praxi, multi timorati Principes, his turbatis temporibus Pontificem pro collectandis bonis Ecclesiasticis iuxta formam *c. aduersus* requirunt; Summusque Pontifex nulli Principi Laico concedit collectandi potestatem: sed deputat Prælatos Ecclesiasticos, qui prætensas difficultates examinent, & subsidium quod conferendum duxerint per Ecclesias distribuant, & per deputatos Ecclesiasticos colligant: prout ex Priuilegio quod Sereniss. Principi Electori Bauariæ 12. *Sept. anno* 1639. proxime concessum est videre licet. In quo illud notandum, quod concessa collectandi facultas, non solum præfato modo restricta sit, sed etiam quod pro vna solummodo vice concedatur. Quibus Summi Pontifices declarant, Laicis facultatem concedi non posse, ad collectandum Clericos, & in contrarium attentata ipso iure esse nulla, & ordinationibus *c non minus, & c aduersus*, subiacere. XLVII.

Quibus omnibus ponderatis patet responsio ad illa quæ superficialiter in contrarium posita, & deducta sunt. Imprimis erroneum est quod præfata *cc. non minus, & aduersus de imm. Eccl.* Laicis concedant facultatem collectandi Clericos, & DD. qui hoc asserunt, scribunt contra textum, & communes conclusiones, & veras sententias antiquorum Doctorum, vt testatur Genu. *d. l.* quem seq. Sanchez *l. 2. c. 4 d. 55. n. 38.* & non obscure videri potest ex adductis text. *sup n 2. 3. 4. &c.* XLVIII.

Ad 1. resp. quod temerarium sit dicere Clericos suspectos esse, quasi de rebus proprijs iudicent; cum de rebus proprijs non iudicent: sed de rebus sacris, diuino cultui consecratis tanquam religionis antistites, & dispensatores bonorum, quæ Deo oblata & consecrata sunt. D. Th *q. 86.* Et alias idem asserendum, si pars similis Ecclesiasticorum, simili Laicorum comparetur. Nam quoties agitur disputaturque, an aliquid Laicorum vel Ecclesiasticorum sit, & vtrinque oriatur suspicio: Maior illa erit ex parte Laicorum; quia magis Laici faciunt res suas quam Ecclesiastici: horum namque res omnibus patent, & quodammodo communes sunt, quod communis sit administratio illarum. Quocirca si quis in causa propria suspectus est, Laicus est magis suspectus, quia magis facit res proprias quam Ecclesiasticus. XLIX.

Ad 3. resp. quod magis temerarium sit dicere, Clericos minus de bono L.

publico sollicitos esse,quam Laicos; illosque bonum publicum nec velle,nec curare.Cum Clerici tanquam Personæ publicæ, religionis antistites & mediatores inter Deum, & homines publica potissimum tractent, publicaque munia frequentissime obeant: vt de Moyse legitur *Deut.5.* » & ex Apostolo constat *ad Hebr.5.* Omnis Pontifex ex hominibus » assumptus,pro hominibus cōstituitur in his quæ sunt ad Deū, » vt offerat bona & sacrificia pro peccatis: Et D.Tho.2.2.*q.86.teste* viri Ecclesiastici pro bono publico,non solum bona propria relinquant, » secundum illud: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; Sed etiam bona Ecclesiæ,tanquam dispensatores omnium, quæ Deo offeruntur,pro necessitatibus pauperum Christi distribuāt, & vitam ipsam pro communi bono exponant. Hinc ex Statutis omnium Gentium, ipsis tanquam Dei ministris,prima Reipublicæ cura tribuitur,& primus honor tanquam personis publicis locum Dei repræsentantibus decernitur. Boz. *d.l.6.c.5 de iur.stat.* Et ex paucis,qui vixerunt,Clericis,multi leguntur Sancti,vbi ex multis Laicis,qui in Ecclesia vixerunt,pauci.Thom.Boz.*in tr.de imp.virt.c.*10.*&* 11. Idē *de sign.Eccl.l.7.c.1.& 1 & l.8.c.3.* Et sic temerè dicitur illos in extrema necessitate requisitos bonū publicū nolle vel nō curare.

11. Ad 4.resp. Quod Clerici non malè vrgeant argumentum *c.nouum genus,de decimis* contra Laicos, à quibus Laicali authoritate collectantur: Cum Laici in Clericos nullum habeant Imperium, & sic à potiori sumitur argumentum. Si enim Clericus Clericum sui ordinis collectare non possit; certè Laicus Clericum nullo modo collectare poterit, minusque poterit illum ad soluendas collectas compellere, subtrahendo ei redditus vel obedientiam.Cum Clerici à potestate Laicorum,iure naturali diuino,& humano exempti sint. Et non sine graui crimine obedientia de- » negatur his,quibus dictum est à Saluatore: Qui vos spernit, me sper- » nit.Hinc Th.Sanch.*d consil mor.l.2 c.4.d.55.* ex alleg. DD. notat, Tyrannidem esse, petere vel extorquere Gabellam à Clericis absque consensu Papæ. Et contra tales ex ordinatione Imperij, mandata imperialia sine clausula decernuntur, prout in causa proposita factum, & in contradictorio pro Clero iudicatum, & declaratum Clericos à sæcularibus vi Laicalis potestatis cogi non posse. SIMILE adductum quod Lupus de Lupo non edat satis irreuerenter applicatur. Cum Clerici inferioris ordinis,à Clericis superioris ordinis iudicentur,& in ordinem redigantur; & magis expedita sit iustitia in Clero; cumque à iudicio sæculari detur recursus ad Ecclesiasticum,& non contra Boz.*d.l.5.c.12.& seqq per l Episcopale C.de Episcopali audientia.* Et ex *Deuter.*17. notandum,quod in casu difficili

popu-

populus debeat recurrere ad Sacerdotem iudicem, & si quis superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, ex decreto Iudicis morietur, vt totus populus timeat, & nullus deinceps intumescat superbia.

Ad 5. resp. plus quam absurdum esse, ne quid grauius statuatur, quod dicitur Episcopum, & Clericum in pari gradu existere; cum Episcoporum ordo sit primus in Ecclesia Thom. Bozius, de sign. *Eccl l.5.c.7.* quo gubernatur Ecclesia, & à quo alij Sacerdotes ordinantur, & iudicantur, *c.1. & tot. tit. de officio Ordin.* D. Tho *in suppl. q.41. a.5.* Et sic malè inferior cum superiore in eodem vel pari gradu constituitur. LII.

Ad 6. resp. superficiale hoc esse argumentum, quod rebus ex natura sua adiaphoris, & indifferenter se habentibus, applicari poterit, si lex non resistat. Sed iam ex dictis patet, quod ex natura sua malum sit, quod Laicus ius in personas, & res Deo consecratas sibi vsurpet; quod sacrilegium in eo committat; quod non solum per Canones, sed etiam per Bullam Cœnæ, sub pœna excommunicationis directè, vel etiam indirectè id fieri quotannis prohibeatur, prout ex adductis textibus patet: Quod certè non fieret, nisi vsurpatio illa, vnionem dissolueret, & peccatum mortale contineret. Bonac. *d. d. 1. q. 1. p 4 n.3.* Et sic patet quod consulens, *sub nu. 14.* malè inferat, quod Officiales sæculares poterunt capere fructus, & mobilia Ecclesiasticorum profana, eaque retinere donec contribuant. Nam cum præmissa sint erronea, temeraria, & absurda, non subsistit illatio; sed æquè erronea, temeraria & absurda est prout ex ipsis alleg. text. patet. Et vlterius videatur Boz. *d. l. 6. c. 1. 2. 3. 9. ac 10.* vbi ostendit, quod omnes Principes, qui huic Ecclesiasticæ potestati, ac libertati infensi fuerunt, exciderint ex statu fœlicitatis, quoad se, quoad liberos, quoad agnationem, quoad nobilitatem subiectorum & populos subiectos, ex ordine singula probans. Quod non minus intelligit de illiis, qui libertatem Ecclesiasticam offendunt in bonis, quam in personis Ecclesiasticis: Bona enim ad sustentationem Cleri ordinata sunt, & Clerici sine illis officium suum, ad quod à Deo missi sunt, exercere non possunt: Hinc idem ius est de rebus, quod de personis. Boz. *l 4. c. 1. & l. 6. c. 4 & 5.* LIII.

Ad propositũ nihil facit, quod in præfato consilio de prætensa tolerantia superiorũ subijcitur; cũ ex præmissis pateat Ordinariũ, & Vniuersalẽ Clerũ Coloniensem reluctatũ esse, & ad illius instantiã, omnia in contrariũ attẽtata, à Sac. Cæs. Maiestate reuocata, & per sententiã definitiuã declaratũ esse, quod Laico Principi non liceat Clericos absq; requisito consensu collectare. Quæ sentẽtia definitiua, per diuersa decreta paritoria, vti præfatũ, confirmata est. Et sic nulla hic est tolerantia, nulla consuetudo, nulla tacita approbatio: & insuper notorium est, quod sola tolerantia bonũ LIV.

non faciat id, quod in se malum est, Boz. d. lib. 6. c. 7. vers. 12. Adde Tho. Sanchez *cons. mor. l. 2. c. 4. d. 50.* Bonac. *de cens. bulla disp. 1. qu. 18.*

XV. Et hæc in lucem dare placuit, ne per tolerantiã videantur approbari, quę inordinata sunt; neue laicalibus potestatibus, cum propriæ tẽporalis æternæq; salutis discrimine mentis caliginem inducãt, quæ obsure in responso, (quod nostrâ hac Apologiâ refutãdum suscepimus) contra SS. Scripturam, SS. Oeconomicorum Conciliorum Canones, Summorum Pontificum decreta, Sanctorum placita, diuorumque Imperatorum ordinationes, contra Meridianam lucẽ, ipsam naturalem rationem, in publicum quidẽ superioribus mensibus edita; Nũc verò post carecta (idq; tanto cũ maiore seductionis periculo, quanto callidiore cõsilio) latere videntur. Diuinam Maiestatẽ contestamur, hac Apologiâ nihil aliud intendi, quã Catholicorum Principum, Ducum, Comitum, Baronũ, Rectorũ Ciuitatum, ac quorũlibet tẽporalium Dominorũ, conscientiarũ pacem, licitã quoq; cõmunis boni, tum in necessitate subuentionẽ, tũ in vtilitate promotionẽ: quã vtiq; apud Clerũ suauius, opportunius, salubriusq; obtinere queunt legitimè per Maiorũ ordinationes, quã illegitimè per callidas machinationes, occultas adinuẽtiones, publicasq; oppressiones rẽ aggrediẽdo. Sunt in Clero Patriotæ, amãtes populũ, regionẽ & ciuitatẽ istam, qui examinatis repertisq; necessitatibus, subuenire plus quã parati sunt. Est Sũmus Pont. æquus rerũ arbiter, qui debitè imploratus prõpta Cleri, tẽpore cõmunis necessitatis, charitatiua subsidia nõ prohibebit. Quod si tãta necessitas de repente incidat, vt Pontifex requiri nõ possit, Episcopus requiri poterit, vti ex cõmuni tradũt Sanch. *d. l. 2. c. 4. d. 55. n. 33.* Boz. & Bonac. *ll. cc.* & hoc in Diœcesi nostra Coloniẽsi commodè fieri potest, cũ Ordinarius in medio inter Ducatũ Iuliæ, & Montium resideat, & faciliùs requiri possit, quã Princeps status, & subditos suos, pro resistẽtia cõscribere, ac cõuocare queat; Si autẽ Laica quæcunq; potestas, & Ordinario præterito, & Clero incõsulto, proprio motu res Deo sacratas, Ecclesijs deputatas, Ecclesiasticorumq; proprijs vsib' destinatas, suis exactionibus immeritò grauare præsumat, profectò absq; sacrilegio, & alijs grauioribus criminibus, enormissimè propriã conscientiã, publicamq; Imperij, pacẽ lædentibus, idipsũ nunquã faciet. Catholica itaq; ac timoratæ mẽtis pia laicalis potestas (per viscera Iesu rogamus propriamq; salutem obtestamur) potius tanquã Ecclesiæ obedientes filij, Dei, Ecclesiæ, sacriq; Rom. Imperij calculis approbatã Ecclesiæ, Ecclesiasticorumq; immunitatẽ sartã tectã habeant, quã eam indignè grauent, inexcusabiliterq; cõcutiant, ac subuertãt.

* * *

FINIS APOLOGIÆ, QVAM ORTHODOXORVM *iudicio subijcimus.*

SVM-

SVMMARIA DEDVCTIO GRAVAMINVM CLERI COLONIENS.

Contra

SERENISSIMVM PRINCIPEM NEOBVRGICVM, ET SVÆ SERENITATIS OFFICIATOS ET STATVS PATRIÆ IN PVNCTO Collectationum.

ANte annos centum & vltra, Illustrissimus Dux Iuliæ, & Montium Clerum Coloniensem, eiusque Colonos, & Censuarios, certis quibusdam angarijs, & perangarijs, cõtra Ecclesiastici Ordinis libertatem, & Summorum Pontificum, ac Imperatorum specialia priuilegia, primum grauare cœpit, exigendo notabilem quandam pecuniæ summam pro cõmuni necessitate: quam cum Clerus soluere recusaret, ob causas & rationes obmotas; Altememoratus Dux Officiatis suis mandauit, vt decimam partem redituum, siue prouentuum Cleri, loco collectæ, Cameræ suæ inferrent. Quapropter pro manutenentia, & conseruatione libertatis, & immunitatis suæ, idem Clerus Carolo V. Imperatori Gloriosissimo supplex factus est, causamq; contra eundem Ducem, occasione eiusmodi collectarum, & turbationum, in Camera Spirensi, Anno 1529. introduxit: & Mandatum Cassatorium, reuocatorium, ac manutenentiæ contra Ducem obtinuit: qui quidem sub prætextu cõmunis Imperij necessitatis, & defensionis contra Turcam, præmisso modo indictas, & exactas collectas iustificare intendens, sustinuit, nullam immunitatem siue priuilegium Clerum, casu necessitatis, vtilitatis, securitatis, aut pacis, tueri posse; fundando se in Iure communi, & Imperij Recessibus; tandem tamen ijs omnibus ex fundamento refutatis cum causę plenaria cognitione, in contradictorio, Ann. 1533. prima Octobris, causa definitiuè determinata fuit pro eodẽ Clero; iussusq; est ipse Dux Clerũ per omnia in integrũ restituere; *Prout hæc omnia ex subiuncto documento sententia de Anno 1533. sub Lit. A patent*: quæ sententia in rem trãsijt iudicatam.

Postmodum in Ducatu Successor filius eius Dux Wilhelmus, finistris

Consiliariorum suorum, partim ad hæresin propendentium, partim etiam statui Ecclesiastico malè affectorum persuasionibus seductus, paterna vestigia insecutus, abiudicatarum huiusmodi collectarum, onerùmque extorsiones cum repeteret, ad instantiam q; Archiepiscoporum Coloniensium Salentini & Ernesti, pientissimæ memoriæ, ab Imperatoribus Maximiliano II. & Rudolpho, eius pariter nominis secundo, diuersa Mandata, necnon paritoria Decreta, tam contra ipsum Ducem, quam ipsius in Ducatibus Successorem, Ioannem Wilhelmum Anno 1570. & 1597. successiue Clerus impetrauit; eorumque adminiculo renouatas oppressiones legitimè ad tempus impediuit.

Neque persuadere sibi potuit, in futurum à subsequentibus prouinciarum possessoribus, maximè Religionis Catholicæ cultoribus amplius tali modo contra omne ius & æquitatem se grauandū; Veruntamen spe sua facilè delusus, in Persona Serenissimi Principis Neoburgici Suæq; Serenitatis Officiatorum & Patriæ Statuum, Iura sua multo grauius, & periculosius inuadi, & contemerari sensit; & pro eo, quod eorum conseruatio ab ipso sperabatur, exactiones multò importabiliores eidem imposuit: quibus prosecutis & continuatis, Clerus extremâ necessitate compulsus fuit ad consueta media recurrere, ac denuo Sacræ quoque Cæsareæ Maiestatis, Ferdinandi II. altissimæ memoriæ authoritatem interpellare: quæ deinde eorum omnium indignitate permota, Anno 1625. 27. Iunij, contra Suam Celsitudinem Mandatum Cassatorium, Inhibitorium, & Restitutorium decreuit; *sub Lit. B.*

Quod licet Suæ Celsitudini, eiusq; Officiatis legitimè esset insinuatum, in minimo tamen attentum, vel obseruatum fuit: Imo quamuis subsequēter Anno 1627. Sua Serenitas Viennæ existens altè memoratæ Sac. Cæs. Maiestati, prænominatoque Clero omnimodam paritionem promisisset; contrarium tamen statim à reditu suo demonstrauit, vbi sub nouis & vndequaq; conquisitis prætextibus & titulis onera oneribus, exactionesque exactionibus cumulando, adeò cōtra eundem Clerū insurgere visus fuit, vt probabiliter apprehendere potuerit Clerus, Status sui pedetentim exterminium imminere, aut saltem perpetuam verisimiliter seruitutem. Inconsideratis enim tū annorū sterilitate, tum militari damno hostilique frequenti excursione & rapina, tum alijs etiam infinitis propemodum téporum horū difficillimorū iniurijs, ob quas Coloni & Pachtarij nō modo parum aut nihil soluerunt; verumetiam in commodato ac mutuo, grauissimo prætetea oneri fuerunt: similiter non attento, quod Cleri prædia, ab hostibus exspoliata, nihil ipsi Clero protulerint, quin potius molesta fuerint, ac etiam ea de caussa deserta permanserint; illis omnibus, cæterisque

quam-

quamplurimis incommodis minimè pensatis, nihilominus omnia eâ proportione censita & collectata fuerunt, quâ pacificis & fertilissimis Annis censeri collectariq; medullitus potuissent: atq; sic viliter & contemptim passim habita, acsi nulla minima conditione, ac qualitate à Laicorum bonis discriminarentur.

Itaque & hoc modo Iustitiâ elusâ, regrediendum eidem Clero fuit ad eandem S. Cæsaream Maiestatem: ibidemque omnibus præmissis demōstratis; necnon exceptionibus ex parte suæ Sereniss. Cels. in contrarium contra rem iudicatam, & Mandatum Cæsareum sine clausula emanatū, adductis, & respectiue causæ principalis meritis (quod videlicet: PRIMO *Clerici in necessitatibus bellicis omni Iure etiam in vim Imperij Recessuum, ad Collectas Laicis soluendas tenerentur:* SECVNDO *etiam non vocati, auditi, aut consentientes:* TERTIO *respectu scilicet situationis bonorum, etsi forenses sint:* QVARTO *& quod ita omnes Reges, & Potestates obseruent.* QVINTO *Summus Pontifex sciat & toleret:*) impertinenter, & irreleuanter ad nauseam recapitulatis: iisdemque omnibus solidè ex parte Cleri refutatis, elisis ac in Iustitia maturè examinatis & discussis, iterum in Anno 1636. 13. Martij Viennæ sua Celsitudo, per sententiam paritoriam præmemorato modo in contradictorio latam iussa est Mandato prædicto realiter parere, extorta restituere, sumptus litis ipsi Clero refundere, & ab vlterioribus exactionibus sese continere *prout sub Lit.* C *videre est.*

Nulla vero paritione, sed indurata contrauentione subsequente, Clerus repetitis iterum grauaminibus apud suam Maiestatē Cæsareā nouas querelas deposuit; ac tandem sub 13. Martij Anni 1637. finaliter & pro omni vlteriori prorogatione suæ Celsitudini eiusq, Officiatis & Statibus terminus duorum Mensium præfixus est ad docendum de reali paritione prædictorum omnium, Mandatorum scilicet & sententiarum; sub euentuali declaratione pœnæ in d. Cæsareo Mandato comminatæ. *Vide sub Lit. D.*

Quæ omnia etiam non modo non permouerunt suam Serenissimam Celsitud. vt obediret; sed sicut ab euentu deprehenditur eandem stimularunt & stimulant, vt amplius Clerum offendat, & prosequatur continuis suis intolerabilibus collectis & exactionibus (quæ interim nec publicæ vtilitati, nec communi S. Imperij necessitati seruire dignoscuntur:) ita eum aggrauare, vt penitus exhauriatur, atteratur & euisceretur, alimentisque exinde necessarijs subtractis vix necessariam alimentationem habeat, ac tandem totalem ruinam, & exterminium Ordinis ac Hierarchiæ Ecclesiasticæ dissolutionem subsecuturam, non tam iustè metuat, quam certò præuideat.

Quam-

Quamuis autem Clerus desuper reiteratis querelis, modernam suam Cæsaream Maiestatem, Ferdinandum Tertium, vlterius pro Iustitiæ complemento, executioneque rei iudicatæ & Mandatorum, ac manutenentia Ecclesiasticæ Immunitatis, ac DEI patrimonij conseruatione, deuotissimè interpellarit: Videntur tamen exulceratissima hæc tempora, deplorandus S. Romani Imperij status, ac belli tempestates, Iustitiæ executionem nonnihil remorari, quo minus pro voto, intentione sua Clerus potiatur, atque ad optatum finem perueniat.

Neq; hic Clerus cessauit: Vlterius quoque pro exonerandis conscientijs, & ad testandum posteris, quod nihil ex parte Cleri omissum, quo periclitanti libertati Ecclesiasticæ, ac Ordini Clericali, succurreretur, præmemoratas miserias & oppressiones (quibus Clerus affligitur, Patrimonium DEI, eiusdemque Ecclesiæ dissipatur ac Iustitia eluditur, Immunitas & Sacri Canones, ac Iura conculcantur & pessundantur) Eminentissimo ac Reuerendissimo Principi ac Domino D. Martio S. Angeli in foro Piscium Diacono Cardinali Ginetti S S. Legato à Latere, vtpote supremum Ecclesiæ Vniuersalis caput ac IESV Christi Vicarium de præsenti hic repræsentanti, idem Clerus humillimè denunciauit: atque suam Eminentissimam Cels. pro conseruatione S. Matris Ecclesiæ Patrimonij, ac tutela oppressi, & ad extremas miserias redacti Cleri pro Dei & Ecclesiæ suæ amore humillimè implorauit, quatenus auctoritate Apostolica altè memoratam suã Serenissimam Celsitudinem ab eiusmodi abiudicatis ac omni iure illicitis exactionibus & oppressionibus paternè dehortari dignaretur *sub litt.* E: Prout Eadem Eminentissima sua Celsitudo ea de causa cũ Serenissimo Principe Neoburgico paternè desuper egit: & pro responso certa quædam puncta, *(quæ videre licet sub litt. F.)* à Serenissimo Principe retulit, quæ S. Eminentissima Celsitudo nuper 15. Maij anno 1639. Clero gratiosissimè communicauit. Ad quæ postmodum ex parte memorati Cleri responsum fuit, *vti habes sub litt. G.*

Hæc omnia, summa & ineuitabili necessitate sic vrgente, benememoratus Clerus coram Domino Deo, toto mundo, & posteris protestando, in vim iuramentorum, quibus singuli Ecclesijs suis obstricti sunt, in publicum edere, & cum hoc quibuscunq; superioribus & ipsi S. R. Sedi deuotissimè notificare coactus fuit: lachrymabundas querelas suas in sinum suæ sanctitatis & quorumcunque superiorum humillimè reponens, & continua ad D. Deum, omnium iniuriarum vindicem, gemebundè suspiria emittens, hæc non potuit non in vulgus diuulgare.

SEQVVN-

SEQVVNTVR NVNC IVRA SVB SVIS LITERIS IN SVMMARIA deductione allegata.

L. A.

DOCVMENTVM SENTENTIÆ CAMERALIS de Anno 1533.

CAROLVS QVINTVS DEI GRATIA Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Hierosolymorũ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habspurgi, Flandriæ & Tyrolis, &c præsenti publico nostro Imperiali mandato notũ facimus & testamur: Cũ antehac Iudicio Imperialis Cameræ nostræ ad instantiam honorabilium & nobis deuotorum Decani maioris, & aliarum Ecclesiarum totius Cleri ciuitatis Coloniens. contra Illustrissimum Iohannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ & Montium, nostrum dilectum Patruum & Principem, publicum Cæsareum pœnale mãdatum emanauit tenoris subsequentis. CAROLVS: Illustrissimo Principi Ioanni Cliuiæ, Iuliæ, & Montium Duci &c. Cognato & Principi nostro charissimo, gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum. Illustrissime cognate & Princeps. Apud nostrum, & Imperij nostri Camerale Iudicium, querela graui deposuerunt, Honorabiles, deuoti nobis Decani & Capitula Metropolitanæ, necnon aliarum Ecclesiarum Vniuersi Cleri Ciuitatis Coloniens. humiliter supplicando: quanquam iuxta Iuris communis & sacri Imperij dispositiones, ordinationes, & constitutiones, præcipue verò iuxta Comitiorum Imperialium Spiræ nuper habitorum, recessum, nulli liceat Ecclesiarum & Ecclesiasticorum res & bona vllatenus grauare & indebito modo arrestare, vtpote, qui & quæ in possessione vel quasi rerum & bonorum suorum, perceptione quoque exinde prouenientium redituum, absque vllius obstaculo manere & manuteneri debeant: Nihilominus elapsis diebus, te ingentem quandam pecuniæ summam ab ijs exegisse, & illius solutionem vrsisse: Cumque propter Prelatorum suorum, spectabiliorum præfati Cleri membrorum, qui Coloniæ exitialem grassantem morbum fugerant, absentiam, tibi in forma respondere

non valuissent, insuper impotentiam, & grauamina sua, quibus onerarentur, allegassent: te tamen non solum excusationes has reiecisse; verum etiam citra vllam tuam vlteriorem instantiam, citra beneplacitum eorū, citra quoque vllius Iudicis decretum, quamuis, vt allegarunt, hac in re competentis cuiusuis Superioris cognitioni haud grauatè se submittere parati fuerint, tuis Officiatis demandasse, vt ex omnibus, & singulis præfati Cleri bonis, sub te situatis, prouenientium redituum decimam partem reciperent, eiusque receptionis initium facerent, in festo S. Martini proximè elapsi, atque intra quindenam sequentem omnia collecta Cameræ tuæ inferrent. Quandoquidem ergo, hac via à te, prouentibus, redditibus, censibus, & decimis suis de facto contra præfata Iura, cōstitutiones, priuilegia, & antiquam consuetudinem, contra publicam Imperij pacem, & ordinationes spolientur: idque tendat in intollerabile eorum præiudicium, & damnum; supplicarunt nobis humillimè, vt præsens mandatum, aliaque Iuris remedia ijs impartiremur: Nos vero cum omnibus & singulis, Ius & Iustitiam administrare, obligati simus & parati, petitum mandatum decreuimus. Itaque tibi auctoritate nostra Imperiali, sub pœna centum marcarum auri puri, pro medietate vna Fisco nostro Imperiali, & pro altera ipsis supplicantibus applicandi, mandamus; idque in his scriptis districtè præcipiendo, vt mox post harum literarum intimationem, à facto isto abstineas; præcipue verò commissiones præfatis Officiatis tuis datas casses, & annihiles, supplicantes in possessione vel quasi suorum censuum, obuētionum, reddituum & decimarum non turbes, aut impedias: sed in leuatione & perceptione eorundem quietè permanere sinas, atque in his omnibus non aliter quam obedientem te exhibeas: ne in euentum contumaciæ, necessitas nobis obueniat, te in iā dictas pœnas & nostram atque Imperij indignationem, declarandi. Quod si in hoc te grauatum esse, aut causas rationabiles habere existimaueris, cur ad præmissa non tenearis, Citamus te auctoritate nostra Imperiali, ad diem quadragesimum quintum proxime post intimationem harum literarum affuturum, quorum tibi quindecim pro primo, quindecim pro secundo, & quindecim pro tertio & peremptorio termino præfigimus: aut si is Iuridicus non fuerit ad proximum Iuridicum sequentem, ad per te vel tuum adhoc constitutum procuratorem coram memorato nostro Camerali Iudicio comparendum, causasque, grauamina, & exceptiones quascunque proponendum, necnon actiones huius omnes & singulas Iuridicas & terminos, vsque ad causæ conclusionem & definitionem, expectandum. Certificantes te siue in præmentionato termino comparueris, siue non, quod Nos nihilominus ad partis comparentis, aut illius procu-

ratoris

ratoris instantiam procedemus, & procedi faciemus Iuris & Iudicij ordine seruato. Datum in nostra & Imperij nostri ciuitate Spirensi decimatertia Nouembris 1529. Imperij nostri Anno vndecimo, & aliorum regnorum nostrorum anno decimo quarto. Ad Mandatum Domini Imperatoris proprium Pallas Siboldt Iudicij Cametæ Imperialis Prothonotarius subscripsit. Eiusque intuitu, in dicto nostro Camerali Iudicio, cum generosus nobis & Imperio deuotus Adamus Comes, & Dñs à Betchlingen, Iudicij Cameræ Nostræ Iudex, vna cum Nobilibus, Honorabilibus, Doctis & nobis nostroq; Imperio deuotis eidem adiunctis Assessoribus, nostro loco, nostroque nomine, in infratacta nostra, & Imperij nostri ciuitate Spirensi, præesset, discretus & doctus nobis & Imperio deuotus Fredericus Reiffstock, Iurium Doctor Cameræ nostræ Aduocatus & procurator vigesima secunda mensis Decembris præterlapsi anni minoris numeri vicesimi noni tanquam procurator, nomine prætacti cleri videlicet Decani & Capituli Metropolitani, Sancti Gereonis, Sancti Seuerini, Sancti Cuniberti, Sancti Andreæ, SS. Apostolorum, B. Mariæ ad Gradus & S. Georgij, Abbatum, Abbatissarum, Virginum, Canonicorum, Capitulorum & Conuentuum S. Panthaleonis, S. Martini, Vndecim millium Virginum, B Virginis in Capitolio & S. Cæciliæ & in genere omnium Pastorum, eorumque Parochiarum ciuitatis Coloniens. vigore publici sigillati & exhibiti Documenti constitutionis, Iudicialiter cõparuit, eodem tempore præinsertum Mandatum, cum relatione suæ executionis in scriptis, per iuratum Cameræ Nuntium factæ, reproduxit, & vlterius alia subsequenti Iuridica exhibuit supplicationem tenoris subsequentis.

Illustris Cæsareæ Maiestatis Cameræ Iudex, Domine gratiose: Nomine & ex parte Reuerendorum, Illustrissimorum, Generosorum, Nobilium, Doctissimorum Decani & Capituli Metropolitanæ, aliarumque Collegiatarum Ecclesiarum, necnon Abbatum & Abbatissarum S. Panthaleonis, S. Martini, S. Vrsulæ, B. Mariæ in Capitolio, & S. Cæciliæ ciuitatis Coloniens. expono Gratiæ Vestræ, quod licet ad instantiam prætacti Cleri contra Illustrissimum & Generosissimum, Principem & Dominum, Dominũ Ioannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ & Montium &c emanauit pœnale Mandatum, quo suæ gratiæ, sub pœna centum Marcarum auri puri, demandatum fuit, vt mandatũ per ipsum suis Officiatis datũ ad effectum, vt ex omnibus dicti cleri bonis sub suæ gratiæ Ducatibus & Dominijs situatis decimã partẽ omnium obuentionũ leuarẽt, incõtinenti cassaret, & reuocaret Capitulares, Abbates & Abbatissas suis censibus, reditibus, prouẽtibus & decimis tali, alioque modo contra Iuris ordinem non spoliaret, nec in eis molestaret, sed eos in possessione & peceptione corundẽ, prout & causam

viæ

viæ Iuris relinqueret: Quamuis etiam prætactum Mandatum altememorato Principi insinuatū fuerit, iuxta tenorē copiæ eiusdē, eidemq; annexæ insinuationis per Iacobum Steinmuller, Nuntium Cameræ factæ, ac vigesima secunda Decembris, Anno vicesimo nono, nouissima Iuridicè reproductū: Eo tamen non attento Illustrissima sua Gratia post insinuationem prædicti Mandati, suum Decretum suæ Gratiæ Officiatis datum, non reuocauit, & in exactione & leuatione decimarum omnium obuentionum & prouentuum dicti Cleri, Abbatum & Abbatissarum non cessauit; sed etiā postmodum dictæ suæ Gratiæ Officiati dicti Cleri, Abbatum, Abbatissarumque censitis & colonis sub graui pœna inhibuerunt, ne illis reditus census aut prouentus deliberarent. Eo quoque non exsatiata, vlterius dicti Cleri, Abbatum, & Abbatissarum colonis, miseris hominibus, omne lucrum, exercitium, aquam, pascua, aratrum, & quamcunque culturam suorum bonorum & agrorum interdixit: Id quod & à sua Gratia absque vlla iusta rationabilique causa fit, & quam maxime præiudiciale, ac omni Iuri contrarium est: præsertim vero repugnat Frederici II. Imperatoris Constitutioni, Imperijq; Ordinationibus: quæ expresse disponunt & volunt, quod nunquam coloni in agris colendis impediri debeant. Præter hoc quoque altememoratus Princeps, prætacti Cleri, Abbatum & Abbatissarum miseros colonos curat coram se vocari, illos hospitijs includi, inhibendo ne inde recedant, nisi prius suæ Gratię Officiatis, iuxta ipsorum ordinationem, satisfecerint; Ita quod de præsenti diuersis in locis dicti Cleri, Abbatum & Abbatissarum coloni publicè arrestantur, sic quod non solum in colendis agris suo exercitio, suorumque bonorum possessione ac vsu impediantur, sed etiam præter hęc suam substantiam in diuersorijs inutiliter consumere cogantur, planè in benememoratorum Capitulorum & Monasteriorum, eorumq; miserorum colonorum horumq; vxorum ac prolium (quos tamen hæc caussa non tangit) notabile & irreparabile damnum & præiudicium. Hisce ita se habentibus, altememoratus Princeps mandatis emissis, non solum non paruit, sed eisdem contrauenit: neque in præsentem diem, ad hoc præfixum, vlias in iure fundatas rationes exhibuit, quare parere non teneretur. Hinc Illustrissime G. V. ego tanquam Procurator, vigore mandati prætacti, die vigesima secunda Decēbris Iudicialiter reproducti, humiliter supplico, quatenus dignetur altememorato Principi, sub Sacri Romani Imperij banni pœna, demandare, vt suum mandatum vlterioremque, post insinuatum Cæsareum mandatum, inhibitionem colonis & censitis dicti Cleri & Monasteriorum, de non deliberando eisdem prouentus & reditus factam, sicut & interdictionem lucri, exercitij, aquæ, pascuorum, culturæ bonorum & agrorū,

incon-

incontinenti caffet, miferos colonos è diuerforijs & hofpitijs, in quibus detinentur, liberos dimittat, & totum quod fua gratia ante & poftmodum illis extorfit, vna cum expenfis, damnis, victualibus, iacturis & intereffe refundat; digneturque vlterius fuæ Gratiæ peremptorium terminum præfigere, ad coram Grat. V. docendum fefe huiufmodi mandato in omnibus & per omnia paruiffe, iuncta citatione ad videndum & audiendum fefe in pœnas primi mandati realiter incidiffe decerni. Super præmiffis omnibus & fingulis humiliter G. V. implorãdo. G. V. humillimus Fredericus Reifflock Doctor.

ECONTRA verò quod Conradus à Schwabach Doctor, tūc adhuc in viuis exiftens, Nomine præfati noftri Patrui Ducis Iuliacenfis, tanquam eiufdem generalis procurator, vigore cuiufdam mandati, cum expreffa proteftatione de non confentiendo in Iurifdictionem ratione huius caufæ, nifi in quantum adhoc de Iure teneretur, comparuit, & poftmodum materiam exceptionalem tenoris fubfequentis exhibuit. Illuftris, Gratiofe Domine, Sacræ Cæfareæ Maieftatis Iudex. Excipiendo contra prætenfum Mandatum & quæcunque alia nomine Reuerendorum, Illuftriffimorum, Generoforum & Venerabilium Decani & Capituli Metropolitani, totiufq; Cleri Colonienf. reproductum & refpectiue propofita proteftatur procurator, nomine & ex parte Sereniffimi & Illuftriffimi Principis & Domini, Domini Ioannis Ducis Cliuiæ & Iuliæ &c. Clementiffimi fui Domini, quod G. V. Iurifdictionem non aliter nec vlteriùs prorogare, nec in Iudicium aduerfus dictum Clerum confentire intendat, nifi in quantum adhoc de Iure tenetur, &, falua huiufmodi proteftatione, quam in omnibus & fingulis fuis actibus, & terminis pro repetita haberi vult & intendit, Opponit imprimis generalia, dicitque procurator publicum & manifeftum effe, in Comitijs Imperij, Wormatij Anno millefimo quadringentefimo nonagefimo quinto habitis, ordinatum & difpofitum qualiter & quomodo Prælati, Comites, Domini, Barones, & Imperij ciuitates, Electores, Duces feu Principes, & qui eorum nomine cenfentur eorum pares, in prima inftantia conueniri nec omiffo medio ad Cameram Imperialem trahi debeant, fuper quo procurator fe ad dictos receffus Imperij erectos anno fupra millefimum quingentefimo refert, *fub Rubrica, Nos Comites, Duces, Barones & reliqui Electores, Principes, eorumq; pares poffe nos ad Ius dicendum euocare* &c. Item manifeftum & notorium eft, proceffus à mandatis in Imperiali Camera inchoari non debere, & quamuis d. emanatum Cæfareum mandatum claufulam Iuftificatoriam complectatur, propter quam mandatum per nudam comparitionem in fimplicem Citationem refoluitur: attamen illudipfum parum in prima inftantia contra altememoratum Principem operari poteft, iuxta præfatos Receffus Imperij, ad quos fe refert: Proinde procurator petit per fententiam

dici

dici & pronuntiari Iurisdictionem huius Imperialis Cameræ, quoad hanc causam,non esse fundatam; sed eam vigore prætactorum recessuum Imperialium fore & esse dimittendam. Et casu quo altè & benememorati Decanus & Capitulum vna cum præfato Clero Colon. altefatum Ducem Cliuiæ & Iuliæ ratione prætactæ causæ vlterius impetere intendant,extunc non debere suam Gratiam aliter quam iuxta prętactos Recessus Imperij cōueniri & accusari. Cum refusione damnorū & expensatū.Saluis quibuscū beneficijs. Cui materiæ Exceptionali vlterius dictus Doctor Frederich contradixit per generalia,repetendo narrata nostri mādati, prout nostras & Imperij ordinationes, signanter vero recessus in Comitijs Spiræ habitis erectos; petendo iuxta suum præinsertum exhibitum libellum supplicem, inibi petitum mandatum decerni:Econtra verò d.procurator Ducis Iuliæ (post aliquot factas propositiones,in quibus allegat, quasi præsens causa inter hinc inde partes per nostros deputatos imperij nostri regentes,sub spe pacis esset intercepta , & repetit eo nomine petitam vlteriorem suspensionem & prætacti Doctoris Frederici eius factam infitiationem,& reuocari petit subsecutum nostrum Iudiciale decretum,quo ipsi mandatum fuerat vt in causa cōcluderet) exhibuit exceptionalem & supplicationis materiam tenoris subsequentis. Illustris Gratiose Domine Roman. Cæs. Maiestatis Iudex Cameræ.In vim nuper per Gratiam Vestram lati decreti excipiendo pariterque causas dando,quare Reuerendorum, Illustrissimorum,Generosorum, Venerabilium,Nobilium & Doctissimorum Decani & Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Colon. totiusque Cleri ibidem petitio, quæ septimo Ianuarij nouissime præterito ad instar alicuius prætensæ supplicationis exhibita fuit,nequaquam locum habere,ac desuper nihil ordinari;sed petiti processus in continenti denegari debeant,exhibet procurator nomine & ex parte Illustrissimi ac Generosissimi Principis & Domini , Domini Ioannis Ducis Iuliæ & Cliuiæ,Domini sui gratiosi,subsequentes causales,præuia repetitione protestationum de non consentiendo neque prorogando , interpositarum: *Primo* dicit Procurator Ducis; ex recessibus Imperij constare,qualiter Electores, Duces, Principes, eorumque pares, in prima instantia conueniri debeant,prout in exceptionibus vndecima Februarij nouissime exhibitis latius deductum existit, quas procurator hic repetit, quasi de verbo ad verbū insertæ essent.Cum itaque ex eisdem exceptionibus clarè appareat,Gratiam Vestram huius causæ nequaquam Iudicem esse;sed vigore prętactorum Recessuum Imperij huiusmodi causam remittendam: Consequens est petitos processus nequaquam decerni debere. *Secundo* si narrata dictæ supplicationis,& mandati inibi mentionati , examinentur & ponderentur, nulla inibi inuenietur qualitas aut particula, quæ G.V. Iurisdictionem in hac causa fundare

dare possit; Ideoque vti præfertur, petiti processus nequaquam decerni debent: Et quidem principiò allegata constitutio Frederici Secundi Imperatoris, in hac caussa locum non habet: Per ex aduerso enim, in æternum non docebitur, nec probabitur, quod Illustrissimus Dux Cliuensis & Iuliacensii, contra dictam constitutionem Frederici Secundi, agricolas aduersariorum, vel boues eorum, aut agrorum instrumenta, seu quidquam aliud, quod ad operam rusticalem pertineat, inuaserit, cęperit, aut violenter abstulerit: Postquam ergo hæc ita se habeant, aduersarij quoque in prætensa sua supplicatione ipsimet non narrent, eorum agricolas inuasos, spoliatos, bonisq; suis priuatos esse; Consequitur indubitatò allegatam constitutionem Frederici Secundi eorum intentioni in nullo subseruire. Nec poterunt aduersarij aliquo fundamento docere, ipsos vel eorum homines, per altememoratum Ducem bello inuasos, suis spoliatos, cęptos, debellatos, obsessos, contra illos nomen militiæ datum, neque vllum eorum Castrum, Oppidum, Marcam, Fortalitium, Pagum, vel Villam incendio, aut alio quouis modo aut ratione damnificatum. Cum itaque hæc ita sint, quo fundamento ipsi tẽpore impetrati prætensi Mandati, cuius in dicto eorum libello supplici fit mentio, conqueri aut narrare potuerunt, quod altememoratus Princeps, violauerit pacem publicam? Ita quoque nihil est in re, quasi altememoratus, contrauenerit ordinationi Imperiali Spiræ erectæ, prout aduersarij tempore impetrati dicti Mandati narrarunt: Non enim dicere poterunt, quod sua Illustrissima Gratia ipsos, aut eorum homines, ratione fidei oppresserit, coegerit, aut debellarit, aut denique eisdem aliquid abstulerit. Quod si autem sua Illustrissima Gratia ab aduersarijs subsidium, & contributiones aduersus Turcam petierit, eo ipso neqquaquam aduersus dictam ordinationem egisse censeri debet; sed magis eidem consentaneum: Cum inibi non reperiatur prohibitum, subsidium & contributiones aduersus Turcam, ab Ecclesiasticis exigere: sed solum in eodem recessu cautum sit, neminem ab alio ratione fidei molestari debere, iuxta tenorem eiusdem, ad quem se procurator Ducis refert. Quod si autem ex parte Aduersariorum dicatur, satis esse quod in dicto Mandato & supplicatione in genere deductũ & narratum sit, quod altefatus Princeps contra Sacri Imperij pacem publicam, nouissimosq; Spirenses recessus, & constitutiones Frederici II. Imperatoris egerit; aduersus hoc replicat procurator Ducis, id se nequaquam concedere; sed debere in specie probari, in quibus pũctis & partibus illis contrauentum fuerit; videlicet inuadendo eos, debellando, &c. iuxta latiorem tenorem aliorum punctorum, quorum in pace publica fit mentio, adhoc, vt Gratia Vestra iudicare possit, an hui⁹ causæ sit Iudex cõpetens: alioquin enim nulla citatio vel processus vigore pacis publicæ decerni debet. Et si dicta constitutio pacis pu-

 blicæ,

blicæ, item constitutio Frederici Imperatoris, per omnia inspiciantur, nō reperitur in eisdem prohibitum, quo minus Princeps Ecclesiasticos, sub ipso domicilium fouentes vel possessionatos, pro subsidio & contributionibus requirere possit: cum ipsi de diuino, naturali, & humano Iure teneantur, pro sua defensione subsidium & contributiones dare. Postquam ergo in narratis dicti prætensi mandati & supplicationis, in specie deductum non reperitur quidquam contra Frederici Secundi Imperatoris cōstitutionem, pacem publicam, & recessum Comitiorum Imperialium, hic Spiræ habitorum, per altememoratum Principem peractum esse, & sic Cleri prætensa actio adeo qualificata non existit, quod eadem à Gratia Vestra in prima instantia cognosci debeat: Consequitur irrefragabiliter, quod G. V. huius nequaquam Iudex esse, neque petitos processus decernere possit; sed prætensum mandatum cassare, reuocare, & petita arctiora mandata, sub pœna vtriusque banni, denegare, ac etiam causam iuxta ordinationes Imperij remittere debeat. *Tertio* notorium est, quod altememoratus Princeps Clerum Coloniensem longo tempore, ratione suorum bonorum & obuentionum, quæ habent in Illustrissimæ suæ G. Ducatibus, clemēter & gratiosè protexerit & defenderit, atq; etiam hodierno die clementer protegat & defendat: Propter quod, ipsi vigore diuini, naturalis, & vtriusque tum Ciuilis tum Canonici Iuris tenentur, & obligati sunt suæ Illustrissimæ Gratiæ collectas & subsidia suppeditare; Eo quod Illustrissima sua Gratia in subministrandis cōtributionibus circa defensiones aduersus Turcam, magis grauata fuerit, quam vllus Princeps Imperij: Nullus enim Princeps Imperij, dum nuper Viēna à Turca obsidione premeretur, maioribus expensis ad defensionem Regis Hungariæ se præparauit; neque iuxta nouissimum Imperiale Mandatum quisquam melius armis adornatus existit, casu quo Turca, à cuius impetu vix horâ securi sumus, se denuo moueat, quam ipse. Si itaque cum petitione de subministrando subsidio & collectis expectandum esset, donec Turca progrederetur, nimis diu negotium remoratum esset. Quod autem aduersarij tale subsidium & collectas non solum ex iure diuino, verum etiam naturali, ac humano, imo & iuxta dispositionem sui Ecclesiastici Iuris subministrare teneantur, compertum est ex pluribus locis Saluatoris nostri IESV Christi, suorumque Sanctorum Apostolorum doctrinis & exemplis, quæ in Canonibus & decretis Patrum, pluribus in locis reperiuntur. Textus enim decretorum dicit: Magnum quidem & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse soluendam; Si enim censum Filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui putas nō esse soluendum? & allegat textus illius decreti dictū, imo præceptū S. Pauli: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit;

Et

Et subiũgit, quod Petrus Apost. generaliter omnibus fidelibus scribat: Estote subditi Dominis vestris siue Regi quasi Præcellenti, siue Ducibus tanquã ab eo missis; quos textus non solum Laici, sed etiam Clerici apprehendunt. Præterea alius textus Decretorum dicit: Christus tributa Cæsari monet reddi, quia propter bella necessario militi stipendium præbetur. Item Tributa pro pace & quiete, pro qua nos tueri & defensare debent, Principibus sæcularibus persoluenda sunt. Disponunt etiam alij textus Decretorum, vlterius: Quod Clerici bonorum temporalium, quæ possident, legibus sæcularibus tenentur obnoxij; & quod de prædijs, villis, Castellis, & Ciuitatibus suis tributa debent. Idemque textus allegat, Præceptum Euangelicum: Date quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei Deo. Item illud Pauli: Reddite omnibus quod debetur, cui Tributum, Tributum, cui vectigal, vectigal Et præter hoc alius textus Decreti Pontificij: Pro cursu temporalium rerum, temporalibus legibus vti debent; Item alius textus Decretorum disponit: Iure humano dicitur, hæc villa est mea; hic seruus est meus; hæc domus est mea: Iura autem humana Imperatorum sunt; quare? quia ipsa Iura humana, per Imperatores & Rectores sæculi, Deus distribuit humano generi. Ex his & alijs pluribus textibus, qui immutabili, & in æternum permansuro Dei verbo innituntur, eique inclinant, sequitur aduersarios tale subsidium & contributiones soluere teneri; nisi Christiani appellari nolint, & audire, quod textus dicit: Relegantur leges, vbi manifestè præceperunt Imperatores: Omnes, qui præter Ecclesiæ Catholicæ communionem, vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed dicunt: quid nobis & Imperatori? Sed vbi, vt iam dixi, de Iure humano agitur, Apostolus voluit seruiri omnibus Regibus, voluit honorari Reges, & dixit Regem reueremini; Noli ergo dicere: quid mihi & Regi? quid tibi ergo & possessioni? per Iura Regum possidentur possessiones? Dixistis quid mihi & Regi? Noli ergo dicere possessiones tuas, quia ipsa Iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur. *Nec obstat in contrarium*, quod obijci possit: Quod Clerus à Regibus, Imperatoribus, & Pontificibus priuilegiatus, & immunitati donatus existat; quę priuilegia etiã in corpore Iuris clausa reperiuntur. Aduersus quod procurator Ducis replicat: quod in talibus, & similibus maxime necessarijs casibus, aduersarios nullum priuilegiũ, nulla Immunitas tueri possit: cum sit indubitati Iuris, quod propter necessitatem, vtilitatem, salutem, pacem & securitatem publicam; Item vbi mora periculum aliquod esset illatura, recedimus à regulis Iuris communis. Dicit etiam textus Canonum, tempore necessitatis omnia esse communia. Et ne quis dubitet qualis necessitas sit expectanda, deciditur per aliũ textum decreti: Quamlibet iustam caussam esse causam necessitatis. Receditur quoq;

ratione scandali à Regalis Iuris cõmunis. Cum itaque plus quam manifesta necessitas versetur præ oculis,& plus quam scandalosum, quod aduersarij, qui Ecclesiastici & Christiani reputãtur,nullas in subsidium contributiones persoluere velint,contra hæreditarium fidei orthodoxæ inimicum: Consequens est,quod prætensa priuilegia,in dicto mãdato & supplicatione tacta, in hoc casu eos tueri nequaquam valeant; Non attento,quod illa in corpore Iuris clausa reperiantur: cum enim Ius commune in talibus necessitatibus cedere necesse habeat, cur etiam non prætacta priuilegia Ecclesiasticorum, in tam plus quam necessarijs casibus non recedent? *Praeterea supplicat Procurator* Ducis considerari. Quod Imperator, Rex, Electores, Principes,& alij, Status Ecclesiasticos casu necessitatis colle&are consueuerint; quod non tantum in Germania,sed alijs nationibus ad præsens obseruatur: Cur ergo non liceret,altememorato Principi, qui non vnus ex inferioribus, sed potentiotibus censetur,Clerum præinsertum aduersus Turcam collectare? Cũ itaque manifestum sit,neque punctum vllum,neque Capitulum,vel in pace publica vel allegata cõstitutione Frederici Secundi,vel in recessibus Spirensibus contineri, aduersus quæ sæpe & altememoratus Princeps per suas actiones contrauenisse aliquo solido fundamento dici possit: Consequitur G.V. huius causæ Iudicem non esse, prætensum mandatum cassari, petitos processus denegari,causamque remitti debere; Prout procurator Ducis male expracticatum mandatum, cassari & relaxari, petitos arctiores processus denegari,causamque vigore ordinationum Imperij,prout in exceptionibus antehac exhibitis petitum existit,remitti petit, idque cum refusione expensarum & damnorum,Iuris beneficijs saluis. Desuperque etiam & alias d Doctoris Frederici propositiones & submissiones vigesima quinta mensis Maij subseque tis ann tricesimi interlocutoria lata fuit;per quam agentibus aliud Cæsare m nostrum Mandatum, tenoris subsequentis, non obstantibus opposit o ibus ex parte procuratoris dicti Patrui nostri,decreuimus. CAROLVS V. Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus,Germaniæ,Hispaniarum,vtriusque Siciliæ,Hierosolymorum, Hungariæ,Bohemiæ,Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Archidux Austriæ &c. Dux Burgundiæ,Comes Habspurgi,Flandriæ,Tyrolis &c. Illustrissimo Iohanni Duci Iuliæ,Cliuiæ & Montium,percharo nostro Patruo,& Principi,Gratiam & omne bonum. Illustrissime perchare Patrue & Princeps: Quamuis Nos antehac tibi ad instantiam Honoratorum,Decani & Capituli Metropolitanæ, aliarumque Collegiatarum Ecclesiarum, totius Cleri ciuitatis Coloniens. per Mandatum Nostrum Cæsareum,è Camera nostra Imperiali emanatum, sub centum marcarum auri puri,pro vna Cameræ nostræ Cæsareæ, proq; altera medietatibus dicto Clero irremissibiliter soluendorum pœnis,serio mãdaue-

dauerimus, quatenus præceptum quod tuis Officiatis dedisti, vt ex omnibus bonis Ecclesiasticis dicti Cleri, sub tua Iurisdictione sitis, decimas omnium annuorum redituum leuarent, sub certo inibi termino præfixo cassares & reuocares; nec etiam dictos Actores, suis censibus, reditibus, & decimis tali similique modo non spoliares, nec circa eorum vsum impedires; Verum illos in perceptione & leuatione eorundem, suoq; Iure imperturbatos relinquetes iuncta Citatione, vt casu, quo te per hoc mandatum grauatum sentires, coram prætacto nostro Camerali Iudicio compareres, causas grauaminis & exceptiones tuas produceres, & causæ huic, ad finalem illius decisionē, adesses iuxta vlteriora contenta dicti emanati, & insinuati mandati. Nihilominus tamen de præsenti in prætacto nostro Camerali Iudicio prætacti Decanus & Capitulum Metropolitanæ, aliarumq; Collegiatarum Ecclesiarum, prout etiam honorati nobis deuoti Abbates & Abbatissæ Sancti Panthaleonis, S. Martini, S. Vrsulæ, B. Mariæ Virginis in Capitolio & S. Cęcilię prætactæ ciuitatis Colonienſ. querulosè exposuerunt, quod tu prætactum tuum præceptum, non solum non cassaueris, persistasq; in exactione decimarum omnium dictorum agentium redituum: Verum etiam postmodum per tuos Officiatos dictorū agentium agricolis & censitis sub graui comminata pœna seu mulcta, ne agentibus reditus, census, obuentiones deliberarent, inhibueris; pariterque dictorum Agentium miseris hominibus, omnem questū, exercitium, aquam, pascua, aratrum, & culturam agrorum & bonorum interdixeris; quodque eo ipso necdum exsatiatus fueris, sed etiam miseros eorū Colonos coram te euocari, & in hospitijs recludi feceris, sub comminatione de inde non recedendo, nisi & priusquam ipsi dictorum Officiatorum animum captarint. Ita quod hoc ipso, prout conqueruntur, eorum homines publicè detineantur; sic quod per hoc non solum in aratri questu, vsu & possessione suorum bonorum impediantur; sed etiam suam substantiam in diuersorijs inutiliter consumere cogantur, planè cōtra emanatum Mandatum & litis pendentiam, inque Agentiū, eorumque miserorum hominum, vxorū & prolium, quibus tamen nihil cum hac causa commune est, notabile & irreparabile damnum: Ideoque pro oportuno Iuris remedio, præsertim pro hoc mandato supplicari fecerunt. Cum itaque huiusmodi mandatum Iudicialiter decretum existat: Idcirco tibi authoritate nostra Cæsarea, Iurisque & Iustitiæ nomine, sub pœna in Iure communi definita, mandamus vt prætacta tua, tuorumq; Officiatorum gesta & attētata, statim post insinuationē præsentis nostri mandati, iterum reuoces, & à talibus & similibus, vsque ad finalem decisionem causæ abstineas: nec in eo te, contumacem exhibeas; ne prætactæ pœnæ, aliarumque nostrarum & Imperij grauissimarum indignationū & mulctarum declaratione contra te procedere cogamur, Quo ipso Dominatio

natio tua sacram nostram volnntatem adimplet. Datū in nostra & Sacri Imperij ciuitate Spirensi 25. Maij, Anno Christi 1530. Regiminis nostri Rom. Imp. 11. reliquorum aliorum 15. Ad Mandatum Imperatoris proprium, Pallas Siboldt Iudicij Cameræ Imperialis Protonotarius subscr. Quod prætactum Mandatum Doctor Fredericus postmodum denuo cum relatione insinuationis in scriptis, per vnum ex nostris Cameræ Nuncijs reproduxit, & præter hoc quoad primum mandatum exhibuit scedulam petitionis, publicè protestando de tempore ratione pœnæ in dicto mandato mentionatæ, id quod decet agendi. Generose Sacræ Cæsareæ Maiestatis Iudex Cameræ, Domine gratiose: Nomine & ex parte Reuerēdorum Illustrissimorum & Generosorum, Nobilium, Doctissimorum, Honestorum, Principum, ac Dominorum Metropolitanæ aliarumque Collegiatarum Ecclesiarum, Abbarum, Abbatissarum, totiusque Cleri Coloniensis, Syndicus eorundem repetit contra & aduersus Illustrissimum & Generosissimum Principem & Dominum, Dominum Ioannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ & Montiū, loco petitionis, narrata mandati vicesima secunda Decemb. reproducti, dicens contenta illorum esse vera, contestaturque eo ipso litem affirmatiuè; & cum huiusmodi emanato & insinuato Mandato infra terminum inibi præfixum, nō sit paritum, nec causæ in iure fundatæ, quare altememoratus Princeps eidem parere non teneatur, exhibitæ; Sic petit Syndicus suam Illustrissimam Gratiam in pęnas comminatas incidisse per sententiam declarari; nec eo minus decerni & declarari, eandem suam gratiam, dicto mandato parere teneri & obligatam esse; aliasq; Syndici principalibus & in quātum illis Ius tribuit, super præmissis omni meliori modo forma & via Ius dici, vna cū refusione expensarum eō nomine factarum, Nobile G. V. officium humiliter implorando: Saluo: Fredericus Reiffstock Doctor. Cuius petitionis prætactus D Conradus, sua perantea facta protestatione de non prorogando salua, petijt copiam, & terminum contradicendi. In termino autem huiusmodi nihil egit; sed vlterius diuersa allegauit: nimirum se in mandatis recepisse, vt in caussa, ad finem habitorum, tunc temporis, Comitiorum Imperialium, supersederet: Sperandum enim, vt caussa inter hincinde partes cōponatur: ac etiam vlteriorē dilationem petijt. Et quia ipsi præterea iniunctū fuerat, prætactæ scedulæ petitionis debite contradicere: Eius intuitu postmodum exhibuit materiam exceptionalem tenoris subsequentis. Generose Domine Sac. Cæs. Maiestatis Iudicij Cameræ Iudex: Ad vehementē & importunam instantiam contradicendi prætensæ scedulæ petitionis per Syndicum Reuerendissimorum Reuerendorum Venerabilium & honestorum Dominorum Capitularium, Metropolitanæ aliarumque Collegiatarū Ecclesiarum ac Vniuersi Cleri Coloniensis nuper sexta mensis Iulij judicialiter

liter

liter exhibitam repetit procurator nomine & ex parte Illustrissimi & Generosissimi Principis ac Domini, Dñi Ioannis Ducis Iuliæ, Cliuiæ & Montium, Domini sui gratiosi, priorem suã per se factam protestationem, de non consentiendo in Iurisdictionem Gratiæ Vestræ, huiusque laudatissimi Cameræ Imperialis Iudicij, nisi in quãrum ad hoc de Iure tenetur; eaque protestatione salua, a qua nequaquã recedere, sed eam in omnibus & singulis subsequẽtibus terminis pro repetita haberi vult & intendit, dicit comprimis excipiẽdo contra dictam prætensam petitionem generalia, & in specie repetit procurator Ducis suas exceptiones declinatorias fori, vndecima Februarij, anno trigesimo Iudicialiter exhibitas, prout etiam inibi tactas ordinationes Imperij, cum reliquis suis deductis. Ex quibus manifeste apparet, quod aduersarij altememoratum Principem coram Gratia Vestra, & in hoc Camerali Iudicio in prima instantia ratione huius caussæ nequaquam cõuenire possint; sed vigore earundem ordinationum suam Illustrissimam Gratiã, coram sua noua Iustitia, casu quo ab vlteriori impetitione cessare nolint, conuenire & accusare teneãtur: ibiq; altememoratus Princeps iuri aduersus aduersarios stare vult; & casu, quo per præfatam iustitiã aliqua sentẽtia cõtra Clerũ proferretur, manet illis appellatio ad hoc Cæsareũ Camerale iudiciũ, libera. Ideoque petit ꝓcurator Ducis iteratò decerni & pronũciari, prout in prætactis repetitis exceptionibus, vndecima Febr. nouissime exhibitis, petitũ extat, cũ refusione expensarum & damnorum; desuper, G. V. Iudiciale Officium, omniaq; Iuris remedia implorando &c Saluo &c. Conradus à Schwabach D.

Vlterius ad prætacti Doctoris Frederici in contrariũ factã verbalem contradictionem, & submissionem, Iudiciali decreto pronuntiatum fuit, dictũ Doctorem Conradum, non obstantibus suis allegatis, teneri litẽ in hoc Camerali nostro Iudicio contestari. Cum autem ille hoc ipsum non fecisset; sed vlteriorem dilationem petijsset, idem D. Fredericus petijt in contumaciam, litem pro contestata acceptari: & præter hoc exhibuit articulos petendo aduersarium ad eosdem singulariter singulis respondendum compelli: Tenor autem articulorum sequitur & est talis. Generosæ Sac. Cæs. Maiestatis Cameræ Iudex: Ad litis contestationem in caussa Reuerendorum, Illustrissimorum, Generosorum, Nobilium, Venerabilium, Doctissimorum & Honestorum Principum, & Dominorum Decani & Capitulariũ Metropolitanæ, aliarumque Ecclesiarum Abbatum & Abbatissarũ, totiusque Cleri Colon. quosque præsens causa concernit, quique apud acta constituerunt, agentiũ ex vna & Illustrissimi ac Generosissimi Principis & Domini, Dñi Ioãnis Ducis Iuliæ, Cliuiæ & Montium, Rei ex altera partibus nuper factam exhibet Syndicus dictorum agentium subsequentes positiones & articulos medio corporali iuramento quod in animam suorum Dominorum Principalium

præ-

præstare offert, petens aduersarium simili Iuramento eisdem respondere cōpelli; Offerens eorū, quæ sic negata fuerint, quæque probatu necessaria sunt, citra onus superflui, probationem, petēs se adhoc & non aliter admitti; desuper protestando. PRINCIPIO ponit & dicit verum in publicis Sacri Imperij ordinationibus, & constitutionibus, Ecclesiarumque libertatibus, singulariter vero in recessibus Spiræ, Anno minoris numeri vicesimo sexto, factis, cautum esse, quod Ecclesiæ earumque personarum bona, nequaquam grauari neq; indebito ac inordinato modo arrestari vel collectari, sed in vsu & possessione, vel quasi bonorum, nec non perceptione suorum redituum, & obuentionum, ac ordinaria Iuris via, citra cuiuscunque impedimentum manere & in eo manuteneri debeant. VLTERIVS *verum*, quod actores ratione suorum bonorum, decimarum, censuum, Iurium & obuentionum, vbicunque sitarum, adeo priuilegiati existant, quod intuitu huiusmodi bonorum, à nemine, nisi ab Archiepiscopi Ordinario, seu cui immediate subsunt collectari, contributionibusq; grauari posśint, vel debeant. *Item*, quod Actores, eorumq; consortes, à pluribus annis eius in quieta possesśione (præsenti, intrascriptaque turbatione salua) extiterint & etiamnum existant. ITEM *verum*, quod altememoratus Dux Reus, illo non considerato, præterlapso anno vicesimo nono, in mense Octobri, maximas contributiones ex procuratoris Dominotum principalium bonis, reditibus & obuentionibus, in Ducatibus & Dominijs Rei sitis, & inde prouenientibus, soluendas indixerit, & exegerit. ITEM *verum*, quod Reus non solum agentium rationabilem necessariam petitionem (cuius in primo emanato mandato fit mentio) sed etiam eorundem Actorum superfluam & legitimam oblationem reiecerit, atque econtra aduersus huiusmodi libertates, antiquam consuetudinem, possessionem & vsum; absque vlla vlteriori petitione, & præstito consensu, citra Iudicalem definitionem, propriā authoritate, suæ Illustrissimæ Gratiæ Officiatis demandauerit, vt ex præfati Cleri bonis, in eiusdem Ducatibus & Prouincijs situatis, decimam partē annuarum obuentionum leuarent. ITEM *ponit & dicit Syndicus vlterius verum*, quod ea propter Reo Duci, sub pœna centum marcarum auri puri, demandatum fuerit, vt statim post insinuationem mandati huiusmodi, de facto præsumptas Innouationes, signanter vero preceptum suis Officiatis præfato modo datum, reuocaret, & cassaret, nec Actores suis censibus, reditibus & decimis tali, alioue modo, contra Ius spoliaret, nec in illis ipsos turbaret; sed eos in possesśione & perceptione suorum prouentuum ordinarioque Iure pacificè relinqueret. ITEM *est verum*, quod in termino, d. mandato præfixo, dictum preceptum S.G. Officiatis datum, non solum non cassauerit, & in exactione decimæ partis obuentionum, ad Actores pertinentium, permanserit; sed etiam Officiati Rei ante & post

acco-

acceptationem dicti Mandati adhuc decimam partem omnium decimarum, redituum, & obuentionum, agentium in omnibus, & singulis locis, vbi illa cesserunt, retinere voluerunt, necnon in pluribus locis leuarunt. ITEM *est verum*, quod Reus eo non exsatiatus fuerit, sed etiam postmodum agentiũ Colonos, & Censitos, sub graui pœna & mulcta, ne agentibus vllos reditus, decimas, & obuentiones deliberarent, inhibuerit. ITEM *verum*, quod Reus Dux, vel eiusdem Officiati illius nomine, & de ipsius consensu, vel voluntate, Agentium miseris Colonis omnem quæstum, & exercitium, aquam, & pascua, aratrum & culturam suorum bonorũ & agrorum interdixerit ITEM *verum*, quod Reus Princeps, seu illius Officiales eius nomine, de ipsius consensu & voluntate, miseros Agentium Colonos coram se euocari, hospitijs includi, eisque mandari fecerint, ne inde egrederentur, priusquam animum dictorum Officiatorum captassent. ITEM *verum*, quod hoc ipso, non solum in agris colendis suoque questu, prout etiã in libero vsu & possessione aliorum eorundem bonorum, impediti fuerint: sed etiam suam substantiam in hospitijs, (cum tamen illos causa hæc non concernat) aliquo tempore inutiliter consumere debuerint. ITEM quod de illis omnibus, præsertim istis in locis, sit publica vox & fama. EX QVIBVS *apparet*, quod opponentis Principis mandata & innouationes præcitatis Iuribus, Sanctionibus, constitutionibus & recessibus, præterea quoque emanato & insinuato mãdato, aduersentur; proptereaque consequens est, suæ Illustrissimæ G. nõ licuisse, tali modo procedere & attentare: quodque huiusmodi sua de facto præsumpta impedimenta, turbationes, priuationes & spoliationes, sint illicita, hocq; ipso iniustè egerit; ideoque in pœnam, in mandato expressam, inciderit; & nihilominus adhuc tali mandato parere, suaque præcepta, iussa, & innouata, abinde & ab insinuatione primi mandati gesta & subsecuta, præterea præcepta, præstita impedimenta, turbationes, priuationes & spoliationes reuocare, ac etiam idoneè de imposterum talia & similia contra Actores non attentandi cauere; sed etiam ipsos in prætactis eorum libertatibus, antiqua consuetudine, possessione, vel quasi, vsu & perceptione suorum censuum, redituum, Iuriumque & obuentionum nequaquam turbare, ac præterea Agentibus, eorumque miseris colonis prætactos ablatos & expandatos reditus, census & obuentiones, prout etiam expensas, damna & interesse per eos omnes & singulos perpessa, Iudiciali moderamine saluo, refundere teneri & obligatum esse: prout Syndicus omni meliori & conuenientiori modo, prout de Iure potest & debet, Reum ad omnia præstandum, faciendum, & adimplendum, paritérque in expensas hactenus factas (de futuris protestando) condemnari, ac alias, prout de Iure, sibi Iustitiam administrari petit. Super præmissis omnibus & singulis Nobile Grat. V. Iudicis officium humiliter implorando.

 Saluo

Saluo. Fredericus Reifflock Doctor. CONTRA quos Articulos Doctor Conradus exhibuit aliam exceptionalem materiam, tenoris subsequentis.

ILLVSTRIS Gratiose Domine Sac. Cæs. Maiestatis Cameræ Iudex: Excipiendo contra prætensam petitionem, nomine Maioris aliorumque adiū-ctorum Capitulorum, Abbatum & Abbatissarum, totiusque Cleri Coloniē-sis, sexta mensis Iulij Anni tricesimi nuper præteriti, prout etiā contra prætē-sas positiones & articulos octaua Februarij nouissime exhibitos, protestatur procurator Serenissimi & Illustrissimi Principis ac Domini, Dñi Ioānis Ducis Iuliæ, Cliuiæ & Montium &c. de non consentiendo in Gratiæ V. Iurisdi-ctionem, nisi in quantum de Iure tenetur, reseruatque sibi, quascunque cō-petentes exceptiones, videlicet nullitatis processus, & ineptitudinis libelli, ac eo præuio dicit *imprimis*, contra prætensam Actionem & petitionem, generalia contra: In specie verò vlterius Procurator, quod si petitio libelli, & petitio articulorum, quos Syndicus d. Cleri ante litis contestationem addendo suo libello exhibuit, rectè examinentur & ponderentur, quod tam pœna in mandato comminata, quam etiam restitutio petita fuerit: sicque criminaliter & Ciuiliter agatur, quod in vno libello fieri nec potest nec debet. *Deinde* verum est si altememoratum Principem ab aduersariorum actione (id quod sua illustrissima G. indubitato futurum sperat) absolui contingeret, quod actio ad pœnam locum habere non possit: Nunc autem manifesti Iuris est, quod si quis in vno libello deducat duas actiones, quæ hoc modo qualificatæ existunt, quod sententia lata in vna, pariat exceptionem rei Iudicatæ in alia, quod illæ in vno eodemque libello cumulari non possint. Si enim contingeret (quod in Iure ad præsens manifestum est) quod Clerus qui sub altememorati Principis protectione est, & protegitur, teneatur suæ Illustrissimæ G. subsidium & collectas, aduersus Turcam cōferre; ad quod iuxta diuinas, & humanas leges, imo proprios ipsorum Canones, obligantur, ac alias procurator Ducis, in suis exceptionibus 8. Aprilis dicti Anni tricesimi latè deduxit, quas ideo huc repetit, vt ea de caussa sua Illustrissima Gr. ab aduersariorum actione absoluatur, sic quod ad restitutionem non obligetur: quo casu si Clerus in contrarium, super pœna querulari vellet, tunc talis actio seu petitio nullum sortiretur locum. Ex quibus omnibus consequitur, quod duæ illæ petitiones seu actiones, ad restitutionem & pœnam, non possint nec debeant cumulari. Petit itaque procurator Principis prætactas aduersariorum petitiones reijci; ac etiam considerari, quod mandatum in simplicem citationem resolutum, ideoq; locus exactioni pœnæ non sit. *Præterea*, Gratiose Dñe, considerandum venit, quod Ecclesiastici & Sæculares iuxta leges & constitutiones Imperij, in temporalibus vno eodemque Iure censeri debeant; Sic ergo, pro secūdo dicendū venit, quod vnus alterum in prima

Instantia coram suo immediato & ordinario Iudicio conuenire debeat Nūc autem ex ordinationibus Imperij manifestum est, quo in loco Electores, Principes, eorumq; pares, in prima Instantia conueniri debeāt. Quod si nūc Ecclesiastici velint illam ordinationē sic nō seruari, sed eam violari; cur ergo plus commodi habere debebunt, quam alij? Sic quod ipsorum fauore, prima Instantia præteriri deberet; præsertim vbi agitur de bonis temporalibus, & in tam plano casu, cui nullo fundamēto contradici potest; videlicet in tam pia causa, vbi Ecclesiastici ad defensionem suæ patriæ, præsertim contra Turcā, æquè subsidium & collectas conferre tenētur, ac sæculares. Dicit enim ipsorum proprius textus, quod tributa pro pace & quiete, in qua Clerici conseruari debent, Principibus sæcularibus persoluenda sint. Petit itaq; Procurator Principis causam vigore ordinationis remitti; Super præmissis omnibus & singulis G.V. Iudicis officium & quæcunq; Iuris remedia implorando &c. Reseruat quoque sibi Procurator Ducis huic materiæ vlteriorem ordinationē altememorati gratiosissimi sui Domini addere & adiungere, eo quod ratione huius causæ specialem Nuntium ad Illustrissimam S. G. ablegauerit. Saluo &c. Conradus à Schwapach Doctor. Et denique pôst alias hinc inde partium factas propositiones & submissiones, 5. Maij, Anni tricesimi primi, data est sententia, per quam, non obstantibus exhibitis exceptionalibus & protestariuis materijs, prætactæ nouissimæ sententiæ inhærebatur, & decernebatur, quatenus Doctor Conradus à Schwapach incontinenti eodem litem non contestaretur, quod extunc lis pro contestata acceptata esse deberet. Ad quod nomine prætacti Ducis Auūculi nostri materia protestationis; & petitionis exhibita fuit. Cum autem sępefatus D. Fredericus, illā nō obstante, instaret, vt sententia data manuteneretur, & aduersarijs debita responsio iniungeretur, fuerunt adhuc duæ aliæ materiæ exhibitæ: Quarum tenor sequitur, & est talis. ILLVSTRIS Domine Gratiose Cæs. Maiest. Cameræ Iudex. Ad modo publicatam sentētiam inter Illustrissimum & Generosissimum Principem & Dominum, Dn̄m Ioannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ &c. Dominum meum gratiosum ex vna, & Clerum Coloniensem ex altera partibus, protestatur Procurator ex parte altememorati sui gratiosi Domini ex speciali mandato ad causam hanc sibi dato, de Gratiæ Vestræ Iurisdictionem vlterius non prorogando, nisi in quantū de Iure tenetur; quodq; G.V. inter prætactas partes non sit Iudex, & repetit omnia singula antehac, coram G.V. exhibita; & signanter altememorati sui gratiosi Domini grauamina, quæ Illustrissima sua Gratia per Clarissimum Dn̄m Ioannem à Dockheim Iurium Doctorem, eiusque legatum, coram deputatis Cæsareis & statuum Imperij Commissarijs producta fuerunt, eorūdemque Commissariorum desuper datum recessum, petendo prætactum Gratiæ V. decretum re-

dici & pronuntiari Iurisdictionem huius Imperialis Cameræ, quoad hanc causam, non esse fundatam; sed eam vigore prætactorum recessuum Imperialium fore & esse dimittendam. Et casu quo altè & benememorati Decanus & Capitulum vna cum præfato Clero Colon. altefatum Ducem Cliuiæ & Iuliæ ratione prætactæ causæ vlterius impetere intendant, extunc non debere suam Gratiam aliter quam iuxta prętactos Recessus Imperij côueniri & accusari. Cum refusione damnorū & expensarū. Saluis quibuscū beneficijs. Cui materiæ Exceptionali vlterius dictus Doctor Frederich contradixit per generalia, repetendo narrata nostri mādati, prout nostras & Imperij ordinationes, signanter vero recessus in Comitijs Spiræ habitis erectos; petendo iuxta suum præinsertum exhibitum libellum supplicem, inibi petitum mandatum decerni: Econtra verò d. procurator Ducis Iuliæ (post aliquot factas propositiones, in quibus allegat, quasi præsens causa inter hinc inde partes per nostros deputatos imperij nostri regentes, sub spe pacis esset intercepta, & repetit eo nomine petitam vlteriorem suspensionem & prætacti Doctoris Frederici eius factam infitiationem, & reuocari petit subsecutum nostrum Iudiciale decretum, quo ipsi mandatum fuerat vt in causa côcluderet) exhibuit exceptionalem & supplicationis materiam tenoris subsequentis. Illustris Gratiose Domine Roman. Cæs. Maiestatis Iudex Cameræ. In vim nuper per Gratiam Vestram lati decreti excipiendo pariterque causas dando, quare Reuerendorum, Illustrissimorum, Generosorum, Venerabilium, Nobilium & Doctissimorum Decani & Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Colon. totiusque Cleri ibidem petitio, quæ septimo Ianuarij nouissime præterito ad instar alicuius prætensæ supplicationis exhibita fuit, nequaquam locum habere, ac desuper nihil ordinari; sed petiti processus in continenti denegari debeant, exhibet procurator nomine & ex parte Illustrissimi ac Generosissimi Principis & Domini, Domini Ioannis Ducis Iuliæ & Cliuiæ, Domini sui gratiosi, subsequentes causales, præuia repetitione protestationum de non consentiendo neque prorogando, interpositarum: *Primo* dicit Procurator Ducis; ex recessibus Imperij constare, qualiter Electores, Duces, Principes, eorumque pares, in prima instantia conueniri debeant, prout in exceptionibus vndecima Februarij nouissime exhibitis latius deductum existit, quas procurator hic repetit, quasi de verbo ad verbū insertæ essent. Cum itaque ex eisdem exceptionibus clarè appareat, Gratiam Vestram huius causæ nequaquam Iudicem esse; sed vigore prętactorum Recessuum Imperij huiusmodi causam remittendam: Consequens est petitos processus nequaquam decerni debere. *Secundo* si narrata dictæ supplicationis, & mandati inibi mentionati, examinentur & ponderentur, nulla inibi inuenietur qualitas aut particula, quæ G. V. Iurisdictionem in hac causa fun-

dare

dare posit; Ideoque vti præfertur, petiti processus nequaquam decerni debent: Et quidem principiò allegata constitutio Frederici Secundi Imperatoris, in hac caussa locum non habet: Per ex aduerso enim, in æternum non docebitur, nec probabitur, quod Illustrissimus Dux Cliuensis & Iuliacensis, contra dictam constitutionem Frederici Secundi, agricolas aduersariorum, vel boues eorum, aut agrorum instrumenta, seu quidquam aliud, quod ad operam rusticalem pertineat, inuaserit, ceperit, aut violenter abstulerit: Postquam ergo hæc ita se habeant, aduersarij quoque in prætensa sua supplicatione ipsimet non narrent, eorum agricolas inuasos, spoliatos, bonisq; suis priuatos esse; Consequitur indubitatò allegatam constitutionem Frederici Secundi eorum intentioni in nullo subseruire. Nec poterunt aduersarij aliquo fundamento docere, ipsos vel eorum homines, per altememoratum Ducem bello inuasos, suis spoliatos, ceptos, debellatos, obsessos, contra illos nomen militiæ datum, neque vllum eorum Castrum, Oppidum, Marcam, Fortalitium, Pagum, vel Villam incendio, aut alio quouis modo aut ratione damnificatum. Cum itaque hæc ita sint, quo fundamento ipsi tēpore impetrati prætensi Mandati, cuius in dicto eorum libello supplici fit mentio, conqueri aut narrare potuerunt, quod altememoratus Princeps, violauerit pacem publicam? Ita quoque nihil est in re, quasi altememoratus, contrauenerit ordinationi Imperiali Spiræ erectæ, prout aduersarij tempore impetrati dicti Mandati narrarunt: Non enim dicere poterunt, quod sua Illustrissima Gratia ipsos, aut eorum homines, ratione fidei oppresserit, coegerit, aut debellarit, aut denique eisdem aliquid abstulerit. Quod si autem sua Illustrissima Gratia ab aduersarijs subsidium, & contributiones aduersus Turcam petierit, eo ipso nequaquam aduersus dictam ordinationem egisse censeri debet; sed magis eidem consentaneum: Cum ibi non reperiatur prohibitum, subsidium & contributiones aduersus Turcam, ab Ecclesiasticis exigere: sed solum in eodem recessu cautum sit, neminem ab alio ratione fidei molestari debere, iuxta tenorem eiusdem, ad quem se procurator Ducis refert. Quod si autem ex parte Aduersariorum dicatur, satis esse quod in dicto Mandato & supplicatione in genere deductū & narratum sit, quod altefatus Princeps contra Sacri Imperij pacem publicam, nouissimosq; Spirenses recessus, & constitutiones Frederici II. Imperatoris egerit; aduersus hoc replicat procurator Ducis, id se nequaquam concedere; sed debere in specie probari, in quibus pūctis & partibus illis contrauentum fuerit; videlicet inuadendo eos, debellando, &c. iuxta latiorem tenorem aliorum punctorum, quorum in pace publica fit mentio, adhoc, vt Gratia Vestra iudicare possit, an hui⁹ causæ sit Iudex cōpetens: alioquin enim nulla citatio vel processus vigore pacis publicæ decerni debet. Et si dicta constitutio pacis pu-

 blicæ,

blicæ, item constitutio Frederici Imperatoris, per omnia inspiciantur, nō reperitur in eisdem prohibitum, quo minus Princeps Ecclesiasticos, sub ipso domicilium fouentes vel possessionatos, pro subsidio & contributionibus requirere possit: cum ipsi de diuino, naturali, & humano Iure teneantur, pro sua defensione subsidium & contributiones dare. Postquam ergo in narratis dicti prætensi mandati & supplicationis, in specie deductum non reperitur quidquam contra Frederici Secundi Imperatoris cōstitutionem, pacem publicam, & recessum Comitiorum Imperialium, hic Spiræ habitorum, per altememoratum Principem peractum esse, & sic Cleri prætensa actio adeo qualificata non existit, quod eadem à Gratia Vestra in prima instantia cognosci debeat: Consequitur irrefragabiliter, quod G.V. huius nequaquam Iudex esse, neque petitos processus decernere possit; sed prætensum mandatum cassare, reuocare, & petita arctiora mandata, sub pœna vtriusque banni, denegare, ac etiam causam iuxta ordinationes Imperij remittere debeat. *Tertio* notorium est, quod altememoratus Princeps Clerum Coloniensem longo tempore, ratione suorum bonorum & obuentionum, quæ habent in Illustrissimæ suæ G. Ducatibus, cleměter & gratiosè protexerit & defenderit, atq; etiam hodierňo die clementer protegat & defendat: Propter quod, ipsi vigore diuini, naturalis, & vtriusque tum Ciuilis tum Canonici Iuris tenentur, & obligati sunt suæ Illustrissimæ Gratiæ collectas & subsidia suppeditare; Eo quod Illustrissima sua Gratia in subministrandis cōtributionibus circa defensiones aduersus Turcam, magis grauata fuerit, quam vllus Princeps Imperij: Nullus enim Princeps Imperij, dum nuper Viěna à Turca obsidione premeretur, maioribus expensis ad defensionem Regis Hungariæ se præparauit; neque iuxta nouissimum Imperiale Mandatum quisquam melius armis adornatus existit, casu quo Turca, à cuius impetu vix horâ securi sumus, se denuo moueat, quam ipse. Si itaque cum petitione de subministrando subsidio & collectis expectandum esset, donec Turca progrederetur, nimis diu negotium remoratum esset. Quod autem aduersarij tale subsidium & collectas non solum ex iure diuino, verum etiam naturali, ac humano, imo & iuxta dispositionem sui Ecclesiastici Iuris subministrare teneantur, compertum est ex pluribus locis Saluatoris nostri IESV Christi, suorumque Sanctorum Apostolorum doctrinis & exemplis, quæ in Canonibus & decretis Patrum, pluribus in locis reperiuntur. Textus enim decretorum dicit: Magnum quidem & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse soluendam; Si enim censum Filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui putas nō esse soluendum? & allegat textus illius decreti dictū, imo præceptū S. Pauli: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit;

Et

Et subiūgit, quod Petrus Apost. generaliter omnibus fidelibus scribat: Estote subditi Dominis vestris siue Regi quasi Præcellenti, siue Ducibus tanquā ab eo missis; quos textus non solum Laici, sed etiam Clerici apprehendunt. Præterea alius textus Decretorum dicit: Christus tributa Cæsari monet reddi, quia propter bella necessario militi stipendium præbetur. Item Tributa pro pace & quiete, pro qua nos tueri & defensare debent, Principibus sæcularibus persoluenda sunt. Disponunt etiam alij textus Decretorum, vlterius: Quod Clerici bonorum temporalium, quæ possident, legibus sæcularibus tenentur obnoxij; & quod de prædijs, villis, Castellis, & Ciuitatibus suis tributa debent. Idemque textus allegat, Præceptum Euangelicum: Date quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei Deo. Item illud Pauli: Reddite omnibus quod debetur, cui Tributum, Tributum, cui vectigal, vectigal Et præter hoc alius textus Decreti Pontificij: Pro cursu temporalium rerum, temporalibus legibus vti debent; Item alius textus Decretorum disponit: Iure humano dicitur, hæc villa est mea; hic seruus est meus; hæc domus est mea: Iura autem humana Imperatorum sunt; quare? quia ipsa Iura humana, per Imperatores & Rectores sæculi, Deus distribuit humano generi. Ex his & alijs pluribus textibus, qui immutabili, & in æternum permansuro Dei verbo innituntur, eique inclinant, sequitur aduersarios tale subsidium & contributiones soluere teneri; nisi Christiani appellari nolint, & audire, quod textus dicit: Relegantur leges, vbi manifestè præceperunt Imperatores: Omnes, qui præter Ecclesiæ Catholicæ communionem, vsurpant sibi nomen Christiannm, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed dicunt: quid nobis & Imperatori? Sed vbi, vt iam dixi, de Iure humano agitur, Apostolus voluit seruiri omnibus Regibus, voluit honorari Reges, & dixit Regem reueremini; Noli ergo dicere: quid mihi & Regi? quid tibi ergo & possessioni? per Iura Regum possidentur possessiones? Dixistis quid mihi & Regi? Noli ergo dicere possessiones tuas, quia ipsa Iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur. *Nec obstat in contrarium*, quod obijci possit: Quod Clerus à Regibus, Imperatoribus, & Pontificibus priuilegiatus, & immunitati donatus existat; quę priuilegia etiā in corpore Iuris clausa reperiuntur. Aduersus quod procurator Ducis replicat: quod in talibus, & similibus maxime necessarijs casibus, aduersarios nullum priuilegiū, nulla Immunitas tueri possit: cum sit indubitati Iuris, quod propter necessitatem, vtilitatem, salutem, pacem & securitatem publicam; Item vbi mora periculum aliquod esset illatura, recedimus à regulis Iuris communis. Dicit etiam textus Canonum, tempore necessitatis omnia esse communia. Et ne quis dubitet qualis necessitas sit expectanda, deciditur per aliū textum decreti: Quamlibet iustam caussam esse causam necessitatis. Receditur quoq;

 ratio-

ratione scandali à Regulis Iuris cōmunis. Cum itaque plus quam manifesta necessitas versetur prae oculis,& plus quam scandalosum, quod aduersarij, qui Ecclesiastici & Christiani reputātur,nullas in subsidium contributiones persoluere velint,contra hæreditarium fidei orthodoxæ inimicum: Consequens est,quod prætensa priuilegia,in dicto mādato & supplicatione tacta, in hoc casu eos tueri nequaquam valeant: Non attento,quod illa in corpore Iuris clausa reperiantur: cum enim Ius commune in talibus necessitatibus cedere necesse habeat, cur etiam non prætacta priuilegia Ecclesiasticorum, in tam plus quam necessarijs casibus non recedent? *Praeterea supplicat Procurator* Ducis considerari. Quod Imperator, Rex, Electores, Principes,& alij, Status Ecclesiasticos casu necessitatis collectare consueuerint; quod non tantum in Germania,sed alijs nationibus ad præsens obseruatur: Cur ergo non liceret,altememorato Principi, qui non vnus ex inferioribus, sed potentioribus censetur,Clerum præinsertum aduersus Turcam collectare?Cū itaque manifestum sit,neque punctum vllum,neque Capitulum,vel in pace publica vel allegata cōstitutione Frederici Secundi,vel in recessibus Spirensibus contineri, aduersus quæ sæpe & altememoratus Princeps per suas actiones contrauenisse aliquo solido fundamento dici possit: Consequitur G.V. huius causæ Iudicem non esse, prætensum mandatum cassari, petitos processus denegari,causamque remitti debere; Prout procurator Ducis male expracticatum mandatum, cassari & relaxari, petitos arctiores processus denegari,causamque vigore ordinationum Imperij,prout in exceptionibus antehac exhibitis petitum existit,remitti petit, idque cum refusione expensarum & damnorum,Iuris beneficijs saluis. Desuperque etiam & alias d Doctoris Frederici propositiones & submissiones vigesima quinta mensis Maij subseque tis anni tricesimi interlocutoria lata fuit;per quam agentibus aliud Cæsare m nostrum Mandatum, tenoris subsequentis,non obstantibus opposit o ibus ex parte procuratoris dicti Patrui nostri,decreuimus. CAROLVS V. Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus,Germaniæ,Hispaniarum,vtriusque Siciliæ,Hierosolymorum, Hungariæ,Bohemiæ,Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Archidux Austriæ &c. Dux Burgundiæ,Comes Habspurgi,Flandriæ,Tyrolis &c. Illustrissimo Iohanni Duci Iuliæ,Cliuiæ & Montium,perchare nostro Patruo,& Principi,Gratiam & omne bonum. Illustrissime perchare Patrue & Princeps: Quamuis Nos antehac tibi ad instantiam Honoratorum,Decani & Capituli Metropolitanæ, aliarumque Collegiatarum Ecclesiarum, totius Cleri ciuitatis Coloniens. per Mandatum Nostrum Cæsareum,è Camera nostra Imperiali emanatum, sub centum Marcarum auri puri,pro vna Cameræ nostræ Cæsareæ, proq; altera medietatibus dicto Clero irremissibiliter soluendorum pœnis,serio mādaue-

dauerimus, quatenus præceptum quod tuis Officiatis dedisti, vt ex omnibus bonis Ecclesiasticis dicti Cleri, sub tua Iurisdictione sitis, decimas omnium annuorum redituum leuarent, sub certo inibi termino præfixo cassares & reuocares; nec etiam dictos Actores, suis censibus, reditibus, & decimis tali similique modo non spoliares, nec circa eorum vsum impedires; Verum illos in perceptione & leuatione eorundem, suoq; Iure imperturbatos relinquetes iuncta Citatione, vt casu, quo te per hoc mandatum grauatum sentires, coram prætacto nostro Camerali Iudició compareres, causas grauaminis & exceptiones tuas produceres, & causæ huic, ad finalem illius decisionē, adesses iuxta vlteriora contenta dicti emanati, & insinuati mandati. Nihilominus tamen de præsenti in prætacto nostro Camerali Iudicio prætacti Decanus & Capitulum Metropolitanæ, aliarumq; Collegiatarum Ecclesiarum, prout etiam honorati nobis deuoti Abbates & Abbatissæ Sancti Panthaleonis, S. Martini, S. Vrsulæ, B. Mariæ Virginis in Capitolio & S. Cęcilię prætactæ ciuitatis Coloniens. querulosè exposuerunt, quod tu prætactum tuum præceptum, non solum non cassaueris, persistasq; in exactione decimarum omnium dictorum agentium redituum: Verum etiam postmodum per tuos Officiatos dictorū agentium agricolis & censitis sub graui comminata pœna seu mulcta, ne agentibus reditus, census, obuentiones deliberarent, inhibueris; pariterque dictorum Agentium miseris hominibus, omnem questū, exercitium, aquam, pascua, aratrum, & culturam agrorum & bonorum interdixeris; quodque eo ipso necdum exsatiatus fueris, sed etiam miseros eorū Colonos coram te euocari, & in hospitijs recludi feceris, sub comminatione de inde non recedendo, nisi & priusquam ipsi dictorum Officiatorum animum captarint. Ita quod hoc ipso, prout conqueruntur, eorum homines publicè detineantur; sic quod per hoc non solum in aratri questu, vsu & possessione suorum bonorum impediantur; sed etiam suam substantiam in diuersorijs inutiliter consumere cogantur, planè cōtra emanatum Mandatum & litis pendentiam, inque Agentiū, eorumque miserorum hominum, vxorū & prolium, quibus tamen nihil cum hac causa commune est, notabile & irreparabile damnum: Ideoque pro oportuno Iuris remedio, præsertim pro hoc mandato supplicari fecerunt. Cum itaque huiusmodi mandatum Iudicialiter decretum existat: Idcirco tibi authoritate nostra Caesarea, Iurisque & Iustitiæ nomine, sub pœna in Iure communi definita, mandamus vt prætacta tua, tuorumq; Officiatorum gesta & attētata, statim post insinuationē præsentis nostri mandati, iterum reuoces, & á talibus & similibus, vsque ad finalem decisionem causæ abstineas: nec in eo te, contumacem exhibeas; ne prætactæ pœnæ, aliarumque nostrarum & Imperij grauissimarum indignationū & mulctarum declaratione contra te procedere cogamur, Quo ipso Dominatio

natio tua sacram nostram voluntatem adimplet. Datū in nostra & Sacri Imperij ciuitate Spitensi 25. Maij, Anno Christi 1530. Regiminis nostri Rom. Imp. 11. reliquorum aliorum 15. Ad Mandatum Imperatoris proprium, Pallas Siboldt Iudicij Cameræ Imperialis Protonotarius subscr. Quod prætactum Mandatum Doctor Fredericus postmodum denuo cum relatione insinuationis in scriptis, per vnum ex nostris Cameræ Nuncijs reproduxit, & præter hoc quoad primum mandatum exhibuit scedulam petitionis, publicè protestando de tempore ratione pœnæ in dicto mandato mentionatæ, id quod decet agendi. Generose Sacræ Cæsareæ Maiestatis Iudex Cameræ, Domine gratiose: Nomine & ex parte Reuerēdorum Illustrissimorum & Generosorum, Nobilium, Doctissimorum, Honestorum, Principum, ac Dominorum Metropolitanæ aliarumque Collegiatarum Ecclesiarum, Abbatum, Abbatissarum, totiusque Cleri Coloniensis, Syndicus eorundem repetit contra & aduersus Illustrissimum & Generosissimum Principem & Dominum, Dominum Ioannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ & Montiū, loco petitionis, narrata mandati vicesima secunda Decemb. reproducti, dicens contenta illorum esse vera, contestaturque eo ipso litem affirmatiuè; & cum huiusmodi emanato & insinuato Mandato infrà terminum inibi præfixum, nō sit paritum, nec causæ in iure fundatæ, quare altememoratus Princeps eidem parere non teneatur, exhibitæ: Sic petit Syndicus suam Illustrissimam Gratiam in pęnas comminatas incidisse per sententiam declarari; nec eo minus decerni & declarari, eandem suam gratiam, dicto mandato parere teneri & obligatam esse; aliasq; Syndici principalibus & in quātum illis Ius tribuit, super præmissis omni meliori modo forma & via Ius dici, vna cū refusione expensarum eō nomine factarum, Nobile G. V. officium humiliter implorando: Saluo: Fredericus Reifstock Doctor. Cuius petitionis prætactus D Conradus, sua petantea facta protestatione de non prorogando salua, petijt copiam, & terminum contradicendi. In termino autem huiusmodi nihil egit; sed vlterius diuersa allegauit: nimirum se in mandatis recepisse, vt in caussa, ad finem habitorum, tunc temporis, Comitiorum Imperialium, supersederet: Sperandum enim, vt caussa inter hinc inde partes cōponatur: ac etiam vlteriorē dilationem petijt. Et quia ipsi præterea iniunctū fuerat, prætactæ scedulæ petitionis debite contradicere: Eius intuitu postmodum exhibuit materiam exceptionalem tenoris subsequentis. Generose Domine Sac. Cæs. Maiestatis Iudicij Cameræ Iudex: Ad vehementē & importunam instantiam contradicendi prætensæ scedulæ petitionis per Syndicum Reuerendissimorum Reuerendorum Venerabilium & honestorum Dominorum Capitularium, Metropolitanæ aliarumque Collegiatarū Ecclesiarum ac Vniuersi Cleri Coloniensis nuper sexta mensis Iulij iudicialiter

liter exhibitam repetit procurator nomine & ex parte Illustrissimi & Generosissimi Principis ac Domini, Dñi Ioannis Ducis Iuliæ, Cliuiæ & Montium, Domini sui gratiosi, priorem suã per se factam protestationem, de non consentiendo in Iurisdictionem Gratiæ Vestræ, huiusque laudatissimi Cameræ Imperialis Iudicij, nisi in quãtum ad hoc de Iure tenetur; eaque protestatione salua, a qua nequaquã recedere, sed eam in omnibus & singulis subsequẽtibus terminis pro repetita haberi vult & intendit, dicit comprimis excipiẽdo contra dictam prætensam petitionem generalia, & in specie repetit procurator Ducis suas exceptiones declinatorias fori, vndecima Februarij, anno trigesimo Iudicialiter exhibitas, prout etiam inibi tactas ordinationes Imperij, cum reliquis suis deductis. Ex quibus manifeste apparet, quod aduersarij altememoratum Principem coram Gratia Vestra, & in hoc Camerali Iudicio in prima instantia ratione huius caussæ nequaquam cõuenire possint; sed vigore earundem ordinationum suam Illustrissimam Gratiã, coram sua noua Iustitia, casu quo ab vlteriori impetitione cessare nolint, conuenire & accusare teneãtur: ibiq; altememoratus Princeps iuri aduersus aduersarios stare vult; & casu, quo per præfatam iustitiã aliqua sentẽtia cõtra Clerũ proferretur, manet illis appellatio ad hoc Cæsareũ Camerale iudiciũ, libera. Idcoque petit ꝓcurator Ducis iteratò decerni & pronũciari, prout in prætactis repetitis exceptionibus, vndecima Febr. nouissime exhibitis, petitũ extat, cũ refusione expensarum & damnorum; desuper, G. V. Iudiciale Officium, omniaq; Iuris remedia implorando &c. Saluo &c. Conradus à Schwabach D.

Vlterius ad prætacti Doctoris Frederici in contrariũ factã verbalem contradictionem, & submissionem, Iudiciali decreto pronuntiatum fuit, dictũ Doctorem Conradum, non obstantibus suis allegatis, teneri litẽ in hoc Camerali nostro Iudicio contestari. Cum autem ille hoc ipsum non fecisset; sed vlteriorem dilationem petijsset, idem D. Fredericus petijt in contumaciam, litem pro contestata acceptari: & præter hoc exhibuit articulos petendo aduersarium ad eosdem singulariter singulis respondendum compelli: Tenor autem articulorum sequitur & est talis. Generosæ Sac. Cæs. Maiestatis Cameræ Iudex: Ad litis contestationem in caussa Reuerendorum, Illustrissimorum, Generosorum, Nobilium, Venerabilium, Doctissimorum & Honestorum Principum, & Dominorum Decani & Capitulatiũ Metropolitanæ, aliarumque Ecclesiarum Abbatum & Abbatissarũ, totiusque Cleri Colon. quosque præsens causa concernit, quique apud acta constituerunt, agentiũ ex vna & Illustrissimi ac Generosissimi Principis & Domini, Dñi Ioãnis Ducis Iuliæ, Cliuiæ & Montium, Rei ex altera partibus nuper factam exhibet Syndicus dictorum agentium subsequentes positiones & articulos medio corporali iuramento quod in animam suorum Dominorum Principalium

præstare offert, petens aduersarium simili Iuramento eisdem respondere cõpelli; Offerens eorũ, quæ sic negata fuerint, quæque probatu necessaria sunt, citra onus superflui, probationem, petẽs se adhoc & non aliter admitti; desuper protestando. PRINCIPIO ponit & dicit verum in publicis Sacri Imperij ordinationibus, & constitutionibus, Ecclesiarumque libertatibus, singulariter vero in recessibus Spiræ, Anno minoris numeri vicesimo sexto, factis, cautum esse, quod Ecclesiæ earumque personarum bona, nequaquam grauari neq; indebito ac inordinato modo arrestari vel collectari, sed in vsu & possessione, vel quasi bonorum, nec non perceptione suorum redituum, & obuentionum, ac ordinaria Iuris via, citra cuiuscunque impedimentum manere & in eo manuteneri debeant. VLTERIVS *verum*, quod actores ratione suorum bonorum, decimarum, censuum, Iurium & obuentionum, vbicunque sitarum, adeo priuilegiati existant, quod intuitu huiusmodi bonorum, à nemine, nisi ab Archiepiscopi Ordinario, seu cui immediate subsunt collectari, contributionibusq; grauari possint, vel debeant. *Item*, quod Actores, eorumq; consortes, à pluribus annis eius in quieta possesione (præsenti, intrascriptaque turbatione salua) extiterint & etiamnum existant. ITEM *verum*, quod altememoratus Dux Reus, illo non considerato, præterlapso anno vicesimo nono, in mense Octobri, maximas contributiones ex procuratoris Dominorum principalium bonis, reditibus & obuentionibus, in Ducatibus & Dominijs Rei sitis, & inde prouenientibus, soluendas indixerit, & exegerit. ITEM *verum*, quod Reus non solum agentium rationabilem necessariam petitionem (cuius in primo emanato mandato fit mentio) sed etiam eorundem Actorum superfluam & legitimam oblationem reiecerit, atque econtra aduersus huiusmodi libertates, antiquam consuetudinem, possessionem & vsum; absque vlla vlteriori petitione, & præstito consensu, citra Iudicalem definitionem, propriâ authoritate, suæ Illustrissimæ Gratiæ Officiatis demandauerit, vt ex præfati Cleri bonis, in eiusdem Ducatibus & Prouincijs situatis, decimam partẽ annuarum obuentionum leuarent. ITEM *ponit & dicit Syndicus vlterius verum*, quod ea propter Reo Duci, sub pœna centum marcarum auri puri, demandatum fuerit, vt statim post insinuationem mandati huiusmodi, de facto præsumptas Innouationes, signanter vero pręceptum suis Officiatis præfato modo datum, reuocaret, & cassaret, nec Actores suis censibus, reditibus & decimis tali, alioue modo, contra Ius spoliaret, nec in illis ipsos turbaret, sed eos in possessione & perceptione suorum prouentuum ordinarioque Iure pacificè relinqueret. ITEM *est verum*, quod in termino, d. mandato præfixo, dictum pręceptum S. G. Officiatis datum, non solum non cassauerit, & in exactione decimæ partis obuentionum, ad Actores pertinentium, permanserit; sed etiam Officiati Rei ante & post

acco-

acceptationem dicti Mandati adhuc decimam partem omnium decimarum, redituum, & obuentionum, agentium in omnibus, & singulis locis, vbi illa cesserunt, retinere voluerunt, necnon in pluribus locis leuarunt. ITEM *est verum*, quod Reus eo non exsatiatus fuerit, sed etiam postmodum agentiũ Colonos, & Censitos, sub graui pœna & mulcta, ne agentibus vllos reditus, decimas, & obuentiones deliberarent, inhibuerit. ITEM *verum*, quod Reus Dux, vel eiusdem Officiati illius nomine, & de ipsius consensu, vel voluntate, Agentium miseris Colonis omnem quæstum, & exercitium, aquam, & pascua, aratrum & culturam suorum bonorũ & agrorum interdixerit. ITEM *verum*, quod Reus Princeps, seu illius Officiales eius nomine, de ipsius consensu & voluntate, miseros Agentium Colonos coram se euocari, hospitijs includi, eisque mandari fecerint, ne inde egrederentur, priusquam animum dictorum Officiatorum captassent. ITEM *verum*, quod hoc ipso, non solum in agris colendis suoque questu, prout etiã in libero vsu & possessione aliorum eorundem bonorum, impediti fuerint: sed etiam suam substantiam in hospitijs, (cum tamen illos causa hæc non concernat) aliquo tempore inutiliter consumere debuerint. ITEM quod de illis omnibus, præsertim istis in locis, sit publica vox & fama. EX QVIBVS *apparet*, quod opponentis Principis mandata & innouationes præcitatis Iuribus, Sanctionibus, constitutionibus & recessibus, præterea quoque emanato & insinuato mãdato, aduersentur; proptereaque consequens est, suæ Illustrissimæ G. nõ licuisse, tali modo procedere & attentare: quodque huiusmodi sua de facto præsumpta impedimenta, turbationes, priuationes & spoliationes, sint illicita, hocq; ipso iniustè egerit; ideoque in pœnam, in mandato expressam, inciderit; & nihilominus adhuc tali mandato parere, suaque præcepta, iussa, & innouata, abinde & ab insinuatione primi mandati gesta & subsecuta, præterea præcepta, præstita impedimenta, turbationes, priuationes & spoliationes reuocare, ac etiam idoneè de imposterum talia & similia contra Actores non attentandi cauere; sed etiam ipsos in prætactis eorum libertatibus, antiqua consuetudine, possessione, vel quasi, vsu & perceptione suorum censuum, redituum, Iuriumque & obuentionum nequaquam turbare, ac præterea Agentibus, eorumque miseris colonis prætactos ablatos & expandatos reditus, census & obuentiones, prout etiam expensas, damna & interesse per eos omnes & singulos perpessa, Iudiciali moderamine saluo, refundere teneri & obligatum esse: prout Syndicus omni meliori & conuenientiori modo, prout de Iure potest & debet, Reum ad omnia præstandum, faciendum, & adimplendum, pariterque in expensas hactenus factas (de futuris protestando) condemnari, ac alias, prout de Iure, sibi Iustitiam administrari petit. Super præmissis omnibus & singulis Nobile Grat, V. Iudicis officium humiliter implorando.

 Saluo

Saluo Fredericus Reiffstock Doctor. Contra quos Articulos Doctor Conradus exhibuit aliam exceptionalem materiam, tenoris subsequentis.

Illvstris Gratiose Domine Sac.Caes.Maiestatis Camerae Iudex: Excipiendo contra praetensam petitionem, nomine Maioris aliorumque adiūctorum Capitulorum, Abbatum & Abbatissarum, totiusque Cleri Coloniēsis, sexta mensis Iulij Anni tricesimi nuper praeteriti, prout etiā contra praetēsas positiones & articulos octaua Februarij nouissime exhibitos, protestatur procurator Serenissimi & Illustrissimi Principis ac Domini, Dñi Ioānis Ducis Iuliae, Cliuiae & Montium &c. de non consentiendo in Gratiae V. Iurisdictionem, nisi in quantum de Iure tenetur, reseruatque sibi, quascunque cōpetentes exceptiones, videlicet nullitatis processus, & ineptitudinis libelli, ac eo praeuio dicit *inprimis*, contra praetensam Actionem & petitionem, generalia contra: In specie verò vlterius Procurator, quod si petitio libelli, & petitio articulorum, quos Syndicus d. Cleri ante litis contestationem addendo suo libello exhibuit, rectè examinentur & ponderentur, quod tam poena in mandato comminata, quam etiam restitutio petita fuerit: sicque criminaliter & Ciuiliter agatur, quod in vno libello fieri nec potest nec debet. *Deinde* verum est si altememoratum Principem ab aduersariorum actione (id quod sua illustrissima G. indubitato futurum sperat) absolui contingeret, quod actio ad poenam locum habere non possit: Nunc autem manifesti Iuris est, quod si quis in vno libello deducat duas actiones, quae hoc modo qualificatae existunt, quod sententia lata in vna, pariat exceptionem rei Iudicatae in alia, quod illae in vno eodemque libello cumulari non possint. Si enim contingeret (quod in Iure ad praesens manifestum est) quod Clerus qui sub altememorati Principis protectione est, & protegitur, teneatur suae Illustrissimae G. subsidium & collectas, aduersus Turcam cōferre; ad quod iuxta diuinas, & humanas leges, imo proprios ipsorum Canones, obligantur, ac alias procurator Ducis, in suis exceptionibus 8. Aprilis dicti Anni tricesimi latè deduxit, quas ideo huc repetit, vt ea de caussa sua Illustrissima Gr. ab aduersariorum actione absoluatur, sic quod ad restitutionem non obligetur: quo casu si Clerus in contrarium, super poena querulari vellet, tunc talis actio seu petitio nullum sortiretur locum. Ex quibus omnibus consequitur, quod duae illae petitiones seu actiones, ad restitutionem & poenam, non possint nec debeant cumulari. Petit itaque procurator Principis praetactas aduersariorum petitiones reijci; ac etiam considerari, quod mandatum in simplicem citationem resolutum, ideoq; locus exactioni poenae non sit. *Praeterea*, Gratiose Dñe, considerandum venit, quod Ecclesiastici & Saeculares iuxta leges & constitutiones Imperij, in temporalibus vno eodemque Iure censeri debeant; Sic ergo, pro secūdo dicendū venit, quod vnus alterum in prima

instan-

Instantia coram suo immediato & ordinario Iudicio conuenire debeat Nũc autem ex ordinationibus Imperij manifestũm est, quo in loco Electores, Principes, eorumq; pares, in prima Instantia conuenire debeāt. Quod si nũc Ecclesiastici velint illam ordinationē sic nō seruari, sed eam violari; cur ergo plus commodi habere debebunt, quam alij? Sic quod ipsorum fauore, prima Instantia præteriri deberet; præsertim vbi agitur de bonis temporalibus, & in tam plano casu, cui nullo fundamēto contradici potest; videlicet in tam pia causa, vbi Ecclesiastici ad defensionem suæ patriæ, præsertim contra Turcā, æquè subsidium & collectas conferre tenētur, ac sæculares. Dicit enim ipsorum proprius textus, quod tributa pro pace & quiete, in qua Clerici conseruari debent, Principibus sæcularibus persoluenda sint. Petit itaq; Procurator Principis causam vigore ordinationis remitti; Super præmissis omnibus & singulis G. V. Iudicis officium & quæcunq; Iuris remedia implorando &c. Reseruat quoque sibi Procurator Ducis huic materiæ vlteriorem ordinationē altememorati gratiosissimi sui Domini addere & adiungere, eo quod ratione huius causæ specialem Nuntium ad Illustrissimam S. G. ablegauerit. Saluo &c. Conradus à Schwapach Doctor. Et denique post alias hincinde partium factas propositiones & submisiones, 5. Maij, Anni tricesimi primi, data est sententia, per quam, non obstantibus exhibitis exceptionalibus & protestatiuis materijs, prætactæ nouissimæ sententiæ inhærebatur, & decernebatur, quatenus Doctor Conradus à Schwapach incontinenti eodem litem non contestaretur, quod extunc lis pro contestata acceptata esse deberet. Ad quod nomine prætacti Ducis Auũculi nostri materia protestationis; & petitionis exhibita fuit. Cum autem sępefatus D. Fredericus, illā nō obstante, instaret, vt sententia data manuteneretur, & aduersarijs debita responsio iniungeretur, fuerunt adhuc duæ aliæ materiæ exhibitæ: Quarum tenor sequitur, & est talis. ILLVSTRIS Domine Gratiose Cæs. Maiest. Cameræ Iudex. Ad modo publicatam sentētiam inter Illustrissimum & Generosissimum Principem & Dominum, Dñm Ioannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ &c. Dominum meum gratiosum ex vna, & Clerum Coloniensem ex altera partibus, protestatur Procurator ex parte altememorati sui gratiosi Domini ex speciali mandato ad causam hanc sibi dato, de Gratiæ Vęstræ Iurisdictionem vlterius non prorogando, nisi in quantũ de Iure tenetur; quodq; G. V. inter prætactas partes non sit Iudex, & repetit omnia singula antehac, coram G V. exhibita; & signanter altememorati sui gratiosi Domini grauamina, quæ Illustrissima sua Gratia per Clarissimum Dñm Ioannem à Dockheim Iurium Doctorem, eiusque legatum, coram deputatis Cæsareis & statuum Imperij Commissarijs producta fuerunt, eorũdemque Commissariorum desuper datum recessum, petendo prætactum Gratiæ V. decretum reuoca-

uocari, causam à se abdicari, & Cōmissarios Imperiales, qui ad hanc causam iam deputati sunt, vel ad eam deputabuntur, prestolari. Quod autem hoc sit rationis, refert se Procurator ad recessum nuper in Comitijs Augustanis, per status Imperij conclusum: Id quod altememoratus Princeps, attenta æquitate & Iustitia petitionis futurum Gratiæ V. confidit Saluo &c. Conradus à Schwapach D. Illvstris, Domine Gratiose Sac. Cæs. Maiest. Cameræ Iudex: In causa inter Illustrissimum & Generosissimum Principē ac Dominum, Dn̄m Ioannem Ducem Iuliæ & Cliuiæ, & Vniuersum Clerum Colonienſ. coram G. V. nouissimà audientià, 5. Maij, anni trigesimi primi, agendo repetit Procurator, quascunque suas antehac factas protestationes, & exhibita scripta, vna cum protestatione, & petitione, eadem die 5. Maij, Iudicialiter producta; & postquam prætacta G. V. sententia seu interlocutoria expresse disponit, casu-quo Procurator Principis litem non fuerit contestatus, quod ex tunc pro cōtestata & acceptata esse debeat, Et quidem ipse, absque mandato gratiosi sui Domini, litem contestari non debet, neque potest: sicque Grat. Vestra in contumaciam litem pro contestata acceptauit; sic protestatur Procurator expresè, quod ille duntaxat, metu pœnę, tempus vlterius agendi petat, videlicet, sex septimanas, Aduersariorum articulis contradicendi. Casu quo Gratia V. interlocutoriam sic intelligat, quod in contumaciam acceptata litis contestatio effectum suum, oppositis in contrariū non obstantibus, & signanter protestatione & petitione, 5. Maij, nouissimè producta, habere debeat; Peto itaque mihi talem terminum gratiose indulgeri: ego enim tanquam nudus Procurator gratiosi mei Domini, nihil agere audeo, quo ipso me excusatum volo: Officium Gr. V. Iudicis ratione huiusmodi temporis implorans. Saluo &c Conradus à Schwapach Doctor.

Illvstris Gratiose Domine, Rom. Cæs. Maiest. Iudex Cameræ: In caussa inter Illustrissimum & Generosissimum Principē & Dominum, Dn̄m Ioannem Ducem Iuliæ, Cliuiæ & Montium, contra & aduersus Vniuersum Clerum Colon. ex speciali ac nouo mādato Procurator Principis repetit suā petitionis & protestationis scedulam, 8. Maij nouissime exhibitam; & protestatur hisce denuo, quod in Iurisdictionem G. V. huius causæ nomine, consentire non intendat, nisi quatenus de Iure: repetit quoq; decretum, quod Commissarij cum in Maio hoc nouissimo præsentes hic fuerunt, (quo mandarāt Illustrissimæ suæ Gratię grauamina examinari) D. Ioanni à Lockheim, Ducis Legato dederunt; & petit ea propter, in caussa supersederi, vsque ad proximè futura Comitia Imperialia: & sic ad prætactum dictorum Commissariorum decretum, resolutionem & decisionem Rom. Cæs. Maiestatis, ratione huiusmodi grauaminum Principis, expectari; Id planè altememoratus Princeps Gratiæ Vestræ [illegible] confidit. Conradus à Schwapach D. Vlterius ad dicti Frede-

Friderici Kelffloc instantiam & petitionem dicto Domino Conrado per diuersa Iudicialia decreta denuo iniunctum fuit, vt præinsertis agentium articulis contradiceret, & illis responderet, idque potissimum, quia vltimo, 16. Octobris præsenti anni tricesimi primi, fuit alius præfixus terminus, cum illa comminatione, si ad eosdem articulos, prout decet, non responderet, quod extunc eidem articuli in contumaciam pro confessis acceptati esse deberent. Ad quod dictus Dominus Conradus denuo exhibuit scriptum huius tenoris. ILLVSTRIS Gratiose Domine Rom. Cæs. Maiestat. Iudex Cameræ: In causa inter Illustrissimum & Generosissimum Principem & Dominum, Dñm Ioannem Ducem Cliuiæ & Iuliæ ex vna, contra Reuerendos Illustrissimos & Generosos, Venerabiles, Nobiles, & Doctissimos Decanum & Capitulares Metropol. Ecclesiæ Colon. Vniuersalisque Cleri ibidem ex altera partibus, Repetit Procurator nomine, & ex parte altememorati gratiosi sui Principis ac Domini, suam protestationis & petitionis scedulam, prima Septembris nouissime per se exhibitam, cum alijs antehac iudicialiter propositis: & allegat vlterius, Sac. Cæs. Maiestatem, Dominum nostrum Clementissimum, Gratiæ Vest. scripsisse, vt vsque ad proximè futura Comitia Imperialia in caussa hæc supersedeat; quæ literæ ad manus Gratiæ Vest. iam peruenerunt, seu saltem breui peruenient: Idque propono Gratiæ Vest. ex informatione Domini Caroli Harst Cliuensis & Iuliacẽsis Secretarij, qui de præsenti hic in negotijs altememorati Principis hæret. Petit itaque in caussa vsq; ad futura Comitia Imperialia supersederi. G. V. obsequentissimus Conradus à Schwapach Doctor. AD QVAM petitionem postmodum decima septima mensis Nouembris, præfatus D Fridericus (ex quo vti allegabat, infra terminum respondendi sub pœna confessatorum præfixum nihil respõsum, & sic in contumaciam articuli pro confessis acceptati sunt) loco conclusionis in caussa, repetit suam petitionem, articulos, & quæcunque acta, petendo iuxta illa definitiuè pronuntiari, aduersariumque in expensas & damna eo nomine perpessa condemnari. AD QVOD postea 27. Nouembris, cum ex parte Patrui nostri, mediante repetitione præinsertorum suæ supplicationis, vlterior terminus octo dierum peteretur, fuit latum decretũ, in quo petitus terminus ex abundanti indultus fuit; cum illa comminatione, si denuo infra huiusmodi tempus prætactis articulis non responderetur, quod extunc, vigore nouissimæ latæ sententiæ, huiusmodi articuli pro confessatis acceptati esse debeant. Infra quem terminum quidem, etiam nõ fuit responsum, sed vlterius ex parte prætacti Patrui nostri literæ quædam sub suo secreto sigillo, prout etiam aliæ Cæsareæ nostræ literæ, cum adiuncto illius libello supplici, ad prætactæ Cameræ nostræ Iudicem, & Adsessores directæ Iudicialiter præsentatæ, earumque intuitu vlterior dilatio petita. Te-

 nor

nor autem praetactarum literarum sequitur & est talis. ILLVSTRI & honestis dilecto nostro Nepoti & amicis Adamo Comiti in Beichlingen Iudici, & Adsessoribus Rom. Caes. Maiestatis, Domini nostri Clementissimi, Cameralis Iudicij. Ioannes Dux Iuliae, Cliuiae, & Montium, Comes de Marca & Rauenspergi. ILLVSTRIS & honesti, dilecte Nepos & Amici: Vobis exponimus, Nobis per honestum ac nobis deuotum Procuratorem nostrum Conradum à Schwapach Doctorem, quarta huius Mensis Nouembris, significatum esse, qualiter Vos decima sexta Octobris ad importunam instantiam Cleri Ciuitatis Coloniensis interlocutoriam tuleritis; videlicet, Casu quo infra quatuor septimanas proxime sequentes, prout decet, non responderemus, quod extunc articuli Cleri, iuxta illius petitionem, confessati esse deberent. Per quam interlocutoriam, nos non leuiter grauatos sensimus, Attento quod coram vobis in prima instantia, iuxta ordinationes Imperij, iuri stare non tenemur, prout hoc ipsum per articulos nostros Additionales sufficienter deduci fecimus. Cum autem huiusmodi & similia grauamina, per Caes. Maiestatem, Dominum nostrum Clementissimum, Electores, Principes, & status Imperij, ad Commissarios Caesareos, pro examinatione eorundem, Spirae facienda, dimissa sint, & quidem dicti Commissarij, propter alia suborta impedimenta, eo tempore fortè nihil finaliter egerunt, sed caussa postmodum ad Caes. Maiestatem remissa sit: Sic quod eapropter coacti fuerimus suae Maiestati supplicare; quatenus huiusmodi causam cõmittere; vel saltem ad minus, caussam vsque ad proxima Comitia Imperialia suspendere dignaretur, & ibidem tractari iuxta necessitatem pateretur. In quo sua Maiestas etiam consensit, & nostro Legato id se facturum promisit: Hinc vos gratiose rogamus, & requirimus, quatenus caussam hanc primae instantiae, prout decet, à vobis abdicetis, vel saltem ad minus vsque ad prima indicta Ratisbonae Comitia Imperialia suspendatis: ne nos, alioquin obediens Princeps Sacri Imperij, contra illius ordinationes grauemur. Id quod vos decenter facturos gratiosè vobis confidimus, eisque beneuolum & gratiosum affectum exhibere parati sumus. Datum Cliuiae sexta Nouemb. Anno trigesimo primo. NOBILIBVS, Honestis, Doctis, nobis & Imperio deuotis, Adamo Comiti in Beichlingen, & N. N. Adsessoribus Camerae nostrae Caesareae, CAROLVS Dei gratia Romanorum Imperator semper Agustus. NOBILES, honesti, dilecti, nobis deuoti: Nobis Illustrissimus Ioannes Dux Cliuiae & Montium, dilectus noster Patruus, & Princeps, querulosè retulit aliquot grauamina, quae illi & aliquot eius subditis Oppidi inferioris Wesaliae & Sittardiae à Vobis inferuntur, prout etiam alia grauamina prouenientia à Clero Ciuitatis Coloniens. quae aduersus ipsum, per vos attentantur; Nosque desuper submissè rogauit & implorauit, prout latius ex inclusa copia

pia

pia intelligetis: Hinc clementer vos rogamus, & mandamus, ne vos in hac causa, quantum possibile est, vlterius, vsque ad tempus nostrorum Ratisbonæ indictorum Comitiorum Imperialium, contra eundem intromittatis; ne existimemini, quasi partialiter, ex affectu propensi essetis, contra eundem in huiusmodi causa, tali cum grauamine procedere. Nos enim clementer intendimus in dictis Comitijs ita talique diligentia de illis inquirere, ne vel ipse vel vos rationabiliter conqueri possitis. Id quod vobis significandum duximus: eo ipso voluntatem & seriam intentionem nostram adimplebitis. Datum in ciuitate nostra Bruxellensi Brabantiæ, 18 Octob. Anno trigesimo primo, regiminis nostri Cæsarei duodecimo, & reliquorum Regnorum decimo sexto: CAROLVS &c. Ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis proprium Alexander Schweiß. SERENISSIME, Potentissime & Inuictissime Imperator. Præmissis semper humillimis, Cæsareæq; Vestræ Maiestati debitis seruitijs, Clementissime Domine. Posteaquam in nouissimis Imperij recessibus Augustæ factis, per Cæsaream Vestram Maiestatem, prout etiam Electores, Principes, & communes status Sacri Romani Imperij, aliqui Principes, Prælati, Comites, & Domini in Commissarios illius & Cameræ Imperialis nominati & deputati sunt, eisque inter alia demãdatum fuit, casu quo, aliquis Electorum, Principum, & statuum, aliquod grauamen sustineret, quod ipsi indebitè quidquam à dicta Camera Imperiali obuenisset, quod huiusmodi grauamen, dictis Visitatoribus transmittere & exponere, desuperque debita inquisitio & reformatio fieri debeat, iuxta latiorem dicti recessus tenorem. Et quidem mihi meisque subditis, per dictũ Camerale Iudicium magna grauamina, indecenter contra Imperij dispositionem, & ius scriptum, in quibusdam causis, illata fuerunt; videlicet in causa restitutionis in integrum, & prætensi spolij: q; Henrici Kranpfen, nunc eius vxoris ex vna, Consulum, Scabinorum & Magistratus Oppidi mei Inferioris Wesaliæ, rationeque proprij mei interesse ex altera partibus; & in caussa Adelhedis Culmans, contra meum Præfectum, & Scabinos Sittardienses; Præterea Ioannis Culmans contra me, & præfatum meum Præfectum & Scabinos Sittardienses; Denique Cleri ciuitatis Coloniens contra me: quas ob causas ego quendam meorum Consiliariorum & Ministrorũ, cum pleno mandato, ad Commissarios atque Visitatores præfatos dicti Cameralis Iudicij ablegaui; illisque mea, meorumque subditorum grauamina, in prætactis causis, proponi feci: quæ Iudici & Adsessoribus Cameræ transmissa fuerunt, adhoc vt desuper contradicerent; Verum ill prætensas suas, & minimè fundatas contradictiones tamdiu suspenderunt, donec Visitatio propemodum finita esset; Sic quod Visitatoribus graue ibidem fuerit, diutius permanere, ad effectum, mea meorumque subditorum grauamina audiendi,

diendi, actaque, per quæ de grauaminibus deductis constet, examinandi; Ideoque ablegato Consiliario & Ministro responsum fuerit, vt Vestræ Cæs. Maiest. pro Commissarijs deputandis supplicarem, qui acta satis magna inspicerent, causam debitè examinarent, desuper proximis futuris Comitijs Imperialibus Vest. Cæs. Maiest. & communibus statibus referrent, postmodumque in causis, iuxta earum qualitatem, statueretur & reformatio fieret. Hinc humillimè supplico Vest. Cæs. Maiest. quatenus eadem dignetur præfatas causas aliquibus impartialibus Iurisconsultis, & quatenus Maiest. Vest. ita placuerit, Honestis, Doctissimisque Ioanni Friederer / Nicolao Reuchhern / Ioanni Pfaffen Schulteto Moguntinensi omnibus Illustris. & ciuitatis Moguntinæ Incolis, coniunctim & diuisim gratiosè committere & demandare; vt mea Iudicisque Cameræ & Adsessorum vlteriora necessaria hinc inde audiant proponenda; & extunc acta visitent, & primis Comitijs Imperialibus coram Vest. Cæs. Maiest. & communibus statibus, vel eis quos ad hoc deputari contigerit, debitè relationem faciant, vt tunc mihi Iustitia, & quod æquum est administretur, & interea temporis Iudici & Adsessoribus Cameræ inhibeatur, & interdicatur, ne quidquam vlterius in talibus causis agant & attentent, sed vsque ad vlteriorem Vest. Cæs. Maiest. & communium statuum ordinationem, in eis supersedeant, sub magna grauique pœna, iuxta causæ exigentiam. Illud erga V. C. M. tanquam meum Clementiss. Dñm, conabor ego etiam submissè demereri: V. Cæs. M. me humillime commendando. Datum in arce mea Hambach 24. Iunij, Anno 31. V. Cæs. M. obediens: Iohannes Dux, Cliuiæ, Iuliæ & Montium. Deinde Clementissime Domine, si V. Cæs. M. non exhibeat se difficilem in exhibendo, Visitatoribus mea grauamina, ad effectum eadem examinandi, sibique desuper referri curandum, famulus meus præsentium lator, habet in mandatis Vest. Cæs. Maiest. eadem humillime etiam tradendi. Ex illis Vest. Cæs. M. apertè colliget, quod hæc non aliter, quam mea maxima ineuitabili necessitate fiant. Datum vt in literis. Incontrarium sæpe d. Doctor Fredericus cum protestatione, nullo modo ab omnibus obtentis sententijs & actis recedendo, iuxta nostras & Imperij nostri Constitutiones sustinuit, huiusmodi literis non attentis, causis & processibus in Camera nostra Imperiali introductis suum directum cursum relinquendum: præterea etiam pro conclusione causæ alias suas anteactas submissiones & acta repetijt; specialiter vero petijt vlterius in contumaciam Aduersarij huiusmodi causam pro conclusa acceptari, iuxta suam anteriorem petitionem definitiuè pronuntiari, & sibi iustitiam administrari: prout hoc ipsum & plura alia in actis Iudicialibus desuper habitis, vberius & latius descripta sunt. Quib. præuijs tandem in præfato N. Cameræ Iudicio, post plenariam Visitationem ac examinatio-

nem omniũ & ſingulorũ huiuſmodi actorũ & propoſitionum hodie definitiua ſentẽtia lata eſt, & publicata tenoris de verbo ad verbũ ſubſequentis.

In cavsa cõmunis Cleri Colonienſis Actoris ex vna, & Domini Ioannis Ducis Iuliæ Rei ex altera partibus, viſis omnibus Actis, decernimus quod prætacto Duci contra prætactum Clerum, deducto in actis modo, abſque debito conſenſu, procedere eorum bona, reditus, & obuentiones, in eiuſdem Ducatu & Dominijs ſituata, collectare & grauare nõ licuerit; & quod propterea prætacto Clero Exactos & receptos, Cenſus & obuentiones reſtituere & refundere teneatur: expenſas hincinde hac in cauſa factas, ex cauſis mouentibus compenſantes. Teſtantibus hiſce literis noſtro appendente Imperiali Sigillo ſigillatis. Datum in noſtra & Imperiali ciuitate Spirenſi, 1 Octob. Anno poſt Chriſtum natum 1533. Imperij noſtri Romani 15. reliquorum vero 18. Ad mandatum Domini Imperatoris proprium. Vdalricus Wamnbuler, Director ſubſcripſit; Caſparus Hamerſtetter Iudicij Cameræ Imperialis Protonotarius ſubſcripſit.

L. B.

MANDATVM POENALE SINE CLAVSVLA, INHIBITORIVM, CASSATorium, & Reſtitutorium de Anno 1625.

Ferdinandvs II. Dei Gratia Electus Rom. Imp. ſemper Auguſtus, Germ. Hung. Boh. Dalm Croat. &c. Rex; Archid. Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinth. Crainç & Wirtembergæ &c. Comes Tirolis &c. Illuſtriſſimo Wolfgango Wilhelmo Palatino Rheni, Duci Bauariæ, Comiti in Veldentz, dilecto nobis Cognato, Affini, & Duci; ſimiliter Nobilibus, nobis & Imperio dilectis fidelibus, N. Cameræ Præſidenti, Cancellario, Conſiliarijs, Vniuerſalibus Statibus, Amptmannis, Præfectis, Iudicibus, Conſtitutis Acciſiarum Magiſtris & Pachtarijs in Ducatibus Iuliæ & Montium; beneuolentiam, Cæſareamque gratiam offerimus, & notum hiſce facimus; quod honorabilis, nobis

 bis

bis dilectus, deuotus Vniuersalis Clerus, Archidiœcesis Coloniensis, humillimè supplicando narrauerit: quamuis vterque tam Ecclesiasticus, quam Secularis supremus Magistratus, Pontifices Romani, & gloriosissimæ memoriæ Romani Imperatores & Reges, Prædecessores & Maiores nostri, in Imperio, ex singulari zelo, pro cultu Dei, eiusque Ecclesiæ honore ac ministerio, melioreque sustentatione ministrorum Ecclesiæ & appertinentium inducti, non solum in communi omnes Ecclesiasticos, cuiuscunque status & dignitatis sint, eorumque prædia, bona & reditus, vbicunque locorum sitos, sicut etiam eorundem ministros, Pachtarios & Colonos, ab omni secularis status Iurisdictione, coarctatione & citatione, prout & à seruitijs, contributionibus, collectis, grauaminibus, quocunque nomine eadem imponi atque iniungi possent, publicis Imperialibus Ordinationibus atque constitutionibus in corpore Iuris clausis; Verum etiam in specie Coloniensem primarium, secundarium, & reliquum Clerum, sub quo Metropolitanum, & alia insignia Capitula, Abbatiæ, & Monasteria comprehenduntur, totaliter & plenè exemerint ac liberarint; ita vt nulli Magistratui aut Superiori seculari licitum sit, irrequisito quouis Ecclesiastico Ordinario, propria voluntate & beneplacito, per se aut suos, eorum prædia, curtes, bona, census & reditus aut Colonos & Pachtarios, multò minus suæ ditioni non subiectos, exactionibus, contributionibus, accisijs vel seruitijs, angarijs aut parangarijs onerare, vllamque iurisdictionalem potestatem in eos exercere; multò minus expandationibus, atque alijs prohibitis militaribus executionibus, de facto ad ista vrgere & constringere: Verum, sicut specialiter & solummodo Ecclesiasticæ potestati vniti ac subiecti sunt; ita etiam vrgente necessitate eidem de omnibus bonis suis vbicunque locorum sitis, secundum antiquam consuetudinem, tantummodo debitam suam quotam soluere & præstare teneantur, prout supplicans Clerus in horum omnium quieta possessione vel quasi à centum & pluribus annis, vltra hominum memoriam, fuit meritò adhuc est & manere debet; Quamuis præterea, cum ante complures annos fœl. recordationis Ioannes, & consequenter Wilhelmus ac Io. Wilhelmus Duces Iuliæ, Cliuiæ ac Montium, contra prædictas exemptiones, libertates ac priuilegia totum Clerum Archidiœcesis Colon. similibus impositionibus, contributionibus, & accisijs grauare, easdem de facto vsurpatis expandationibus, ac militaribus executionibus, à colonis & pachtarijs, ratione ab ijsdem possessorum prædiorum ac bonorum Ecclesiasticorum, contra Ius extorquere conarentur, tam à Cleri antecessoribus, quam eo tempore existentibus Archiepiscopis & Electoribus Coloniensibus in quorum damnum & præiudicium hæc vergebant, apud Iudicium Cameræ Spirensis processus, & Mandata pœnalia sine clausula impetrata sint; in eoq; puncto,

ante

ante nonaginta & pluresannos,& nominatim 1.Octob.1553. iudicialiter, ex Actis iudicatum, quod altè memoratis Ducibus non licuerit, supplicantis Vniuersalis Cleri, vti in Actis deductum, sine debito ac decente consensu, in eorundem Ducatibus & Prouincijs sita bona, redditus & census impositionibus ac contributionibus grauare; ideoque obligati sint memorato Clero ablatos atque receptos census & reditus refundere ac restituere: neque ea solum iustè & æquitati conformiter lata sententia ante plurima tempora vim & effectum rei iudicatæ sortita sit, verum etiam, cum vterque postremo defunctus Dux Iulius rursus, ex aliorum hominum mala informatione & suggestione, Cleri bona & prædia, sub communi patriæ contributione & accisijs comprehendere proposuisset, iteratò per diuersos recessus, 13. Martij Anno 1570. 27. Ian. & 21. Iunij Anno 1571. & 21 Februarij Anno 1575. irreleuantibus contradictionibus non attentus, restitutio eorum, quæ pro ratione harum petitarum contributionum atque accisiarum contra Iura, & de facto per captionem pignorum extorta sunt cum plenaria restitutione in integrum, demandata fuerit, prout postmodum contra eiusmodi supra allegatis sententijs, & recessibus contraria attentata & prohibitas turbationes, diuersa quoque rigorosa Mãdata sine clausula decreta emanarint; quorum omnium consideratione, insuperque Iuris communis, tam Canonum, quam legum ciuilium dispositionis attentione; sicut & S.Rom. Imperij diuersarum ordinationum & constitutionum; specialium quoque Imperatorum & Regum priuilegiorum obseruatione; demum & sententiarum ac decretorum apud summum Iustitiæ tribunal, cum plena causæ cognitione, reiectis omnibus contradictionibus, iam pridem, & nunc breui, obtentorum intuitu, præmemoratus Clerus, & eorundem Coloni, reditus & census ab omni vlteriori molestatione & exactionibus, contributionibus ac accisijs eximi & liberari, ac in libertate sua manere merito debeant, nec in ijs aliquo modo de nouo molestari: Quod tamen è diametro contraueniendo his omnibus Tua dilectio, ante à nobis in dictis Ducatibus & Regalibus habitam infeudationem, forte ex sinistra informatione iam præteritis annis præsumpserit & attentauerit de facto à Cleri colonis & pachtarijs, ratione in Ducatibus Iuliæ & Montium sitorum Ecclesiasticorum prædiorum, redituum, ac censuum, communem patriæ contributionem, seruitij & libertatis nummum, aut sub quibuscunque nominibus id fieri possit, exigere; eosque ad beneplacitum ad certam quotam collectare, singulis quoque mensibus de quolibet maldro frumentorum, præter decimum nummum, octo denarios Colonienses extorquere; sicque primò fundum, deinde simul quicquid ex eo in bonis annis excrescere potuisset, taxare; non attento, quod pachtarij ob continuam militum sustentationem, sterilitatem, damnum

 gran-

grandinis,& alias quotidianas grauiſſimas moleſtationes, integram pactam longè ſoluere nequiuerint; Ipſos etiam de Clero Clementiſſimo Domino ſuo Electori Colonienſi, pro communi neceſſitate patriæ, iuxta debitum, contribuentes, iterum intollerabilibus inauditis duplicatis, imò ter & ſæpiùs multiplicatis oneribus grauare,idque captionibus pignorum,fructuum diſtractionibus & alijs militaribus vſurpatis executionibus vna cum extorſione deſuper cauſatarum expenſarum;adeo vt in quibuſdam locis eorum Coloni curtes & prædia omnino deſerere & ab iiſdem diſcedere ſumma vrgente neceſſitate compellantur,ipſe vero Clerus parum vel nihil bonis ſuis frui poſſit. Quod præter hæc omnia,Dil. Tua Anno 24. proximè præterito 28. Aprilis, cum conſenſu ſtatuum patriæ, vigore cuiuſdam puratitij patriæ receſſus,ſuper omnibus externis, ad & tranſuectis aut tranſuehendis bonis & mercibus,vti etiam ex ipſis prouincijs prouenientibus & prouenturis frumentis,natis naſcituriſq; pecoribus,ſuper vino,cereuiſia &c. ſub pœna confiſcationis tam mercium,quam equorum & curruum, inauditam nouam acciſiam,in vicinorum omnium & mercatorum maximum detrimentum ac querelam, contra conſtitutiones Imperij de nouis vectigalibus non erigendis,imponi & publicari iuſſerit; & certas quaſdam perſonas ad colle&tandum vigeſimum nummum conſtituerit & ordinauerit, ita vt ex inde immodica omnium mercium ac victualium in iſtis partibus annona ſit pertimeſcenda. Quæ omnia cum Iuri Pontificio & Cæſareo, Imperialibus conſtitutionibus;ſicut quoque,in Corpore Iuris expreſsè clauſis, priuilegijs & immunitatibus directè contraria ſint; præterea in Vilipendium rei iudicatæ,ſicut etiam in præiudicium ſupremæ Imperialis noſtræ authoritatis,& reſeruatæ Superioritatis, notoriè tendant; & in eum finem tractentur & attententur,vt Eccleſiaſtici paulatim ſuis longiſſimorum temporum & per iudicatum confirmatis Iuribus Priuilegijs, immunitatibus ac libertatibus deſtituti,in perpetuam ſubiectionē & ſeruitutem conijciantur; nihilque aliud exinde quam confuſio Iuriſdictionum,quamque ob defectum neceſſariæ ſuſtentationis non tam diminutio,quam finalis interitus Eccleſiaſtici ſtatus, quam & mera religionis prophanatio, damnumque irreparabile neceſſariò conſequi debeat: cumque hæc contra bonum & incolumitatem publicam directè tendant;taliaque ſint, quæ nullo prætextu Iuris iuſtificari queant;ſed potius ſine mora abſque vlteriori cognitione à Nobis,tanquam ſupremo capite, per mandata ſine clauſula aboleri ac in priſtinum ſtatum reſtitui poſſint ac debeant. Hinc præmemoratus Clerus, cum debita ſubmiſſione ſupplicādo quam humilimè, Nos implorauit & orauit, vt Nos, tanquam Sac. Rom Imperij ſupremum caput,& Summus Defenſor Ordinis Eccleſiaſtici,illis maturo auxilio Iuris clemētiſſimè ſuccurreremus, atq; etiā congrua

congrua Mandata & citationes contra T.Dil.& Vos gratiosissime decerneremus, prout etiam (cum omnibus Iustitiam administrare tam obligati, quā proni simus) hodie præhabita matura huius causæ declaratione sequens Mādatum & citationem expediendum esse, decreuimus. Quare Dil. Tuæ, vti etiam vobis præfatis Cameræ Præsidenti, Cancellario, Consiliarijs, generalibus Patriæ Statibus, Amptmannis, Præfectis, Ordinatis, Accisiarum magistris, & Pachtarijs, in Ducatibus Iuliæ & Montium, authoritate Cæsarea, sub pœna centum Marcarum auri puri, pro medietate Fisco Cæsareo, & altera medietate præfato Clero, irremissibiliter soluenda, hisce seriò mandamus & volumus, vt Dil. T. & Vos, non attentā præmemorata prætensa conclusione in Conuentu patriæ facta, (quam in hisce nullam, inefficacem, ac per se inualidam esse ex officio Imperiali declaramus ac tollimus) antememorati Cleri Colonos, prædia, & in dictis Ducatibus ac prouincijs sitos reditus & census, in antiquissima eorundem libertate, Priuilegijs & Exemptionibus quietos relinquatis, contra hæc, prout & contra id, quod per tot sententias & res iudicatas obtentum est, non grauetis, nec molestetis, aut per alios grauari aut molestari permittatis; recenterque institutas Accisias, Licentias, Impostas, Telonia, Vectigalia, contributiones quocunque nomine appellentur, tollatis; sæpius memorati Cleri reditus ac obuentiones, sine aliqua impositione tutò ac liberè duci & educi sinatis; & si quid contra hæc hucusque de facto via expandationum & realium executionum attentatum & extortum fuerit, cassetis, tollatis & respectiue plenariè restituatis; in futurum, etiā per præstationem solitæ cautionis, similia non iteretis, nec secus faciatis aut immorigeros vos exhibeatis. Si modo Dil. T & Vos antedictam pœnam euitare volueritis. Hoc seriò intendimus & volumus. Præterea Dil. T. & Vos post insinuationem huius Mandati nostri Cæsarei, infra duos Menses, quos Dil. T. & Vobis pro 1.2.3. ac postremo die Iudiciali præfigimus ac nominamus peremptoriè; aut si ille iudicialis non fuerit, proximo iudiciali sequente, personaliter aut per Procuratorem vestrum, in aula nostra Cæsarea (vbicunque locorum fuerit) compareatis, ad fidem faciendum & docendum; quod huic Mandato nostro Imperiali iuxta inibi contenta obedienter paritū sit; quod si verò nō, tūc ad videndū & audiendū Dil. T. & Vos, ob inobedientiā, in prætactā pœnā incidisse, per sententiā & de Iure pronunciari, decerni ac declarari, siue Dil. T. & Vos in termino præfixo veniatis ac cōpareatis, siue nō, nihilominus ad obtēperantis partis vlteriorē instantiā & petitionē, hac in causa in præfatis, sentētia, declarationib. & decretis tractabitur & procedetur, prout decet & iuris est. Iuxta hæc Dil. T. & vos regulare vos potestis. Datū in Vrbe N. Viēna 27. die, mēsis Iunij An. 1625. Regnorū NN. Romani 6. Hungarici 7. & Bohomici 8. FERDINAND. Vt Petrus Henr. à Stralendorff. Ad Mandatū S. Cæs. Maiestatis proprium, I. R. Pucher.

L. C.

SENTENTIA PARITORIA CVM EVENTVALI DECLARATIONE DE Anno 1636.

IN causa N. & N. Vniuersalis Cleri Diocœsis Coloniensis actorum, ex vna: contra & aduersus D. Comitem Palatinum Wolffgangum Wilhelmum in Newburg, eiusq; putatiue constitutos Cameræ Præsidentes, Cancellarium, Consiliarios, vniuersos Status patriæ, Amptmannos, Præfectos, constitutos accisiarum Magistros & Pachtarios, in Ducatibus Iuliæ & Montium Conuentos, ex altera partibus; mandati pœnalis, cassatorij, inhibitorij & restitutorij sine clausula, in puncto nouiter prætensarum collectationum, accisiarum, licentiarum, impositionum, teloniorum, & eiusmodi quomodocunque appellari possint, petitione & imploratione Cleri ratione aliorum processuum pro tempore recusata; Reis conuentis, pro parte ipsorum exhibitis exceptionibus non obstantibus, quod emanato insinuato, & reproducto Cæsareo mandato per omnia paritum & realiter satis factum sit, adhuc tempus trium mensium, quamprimum ab insinuatione & traditione harum computandum, ex officio, & pro omni termino & prorogatione, per præsentes statuitur & præfigitur: cum hoc additamento, nisi hæc ita peregerint, quod ipsi conuenti, oés & singuli ex nunc, prout ex nunc, & ex tunc prout ex nunc, in pœnam memorato mandato insertam, declarati, & petiti arctiores processus decreti, & conquerenti Clero ad restituendum & soluendum desuper causatas iudiciales expensas, iudiciali moderamine saluo, obligati sint & teneantur: Interim vero Rei conuenti contra in memorato mandato decretam inhibitioné lite pendente à querulatis & etiamnum continuatis, iniustè extortis collectationibus, quouis nomine appellentur, totaliter & per omnia abstinebunt & acquiescent. Signatum Viennæ sub Cæs. Maiest. secreto Sigillo 13. Mart. Anno 1636. Vt. Petrus Henr. à Stralendorff. Iohan. Soldner.

L. D.

ITERATA SENTENTIA PARITORIA CVM EVENTVALI DECLARATIONE, de Anno 1637.

IN causa Vniuersalis Cleri Diocœsis Coloniensis actoris ex vna, contra & aduersus Comitem Palatinum Wolffgangum Wilhelmum in Newburg, eiusque putatiuè constitutos Cameræ Præsidentes, Cancellarium, Consiliarios, Vniuersos Status

tus Patriæ, Amptmannos, Præfectos, constitutos Magistros Monetarum, & Pachtarios in Ducatibus territorijs Iuliæ & Montium reos conuentos ex altera partibus, mandati pœnalis Cassatorij, inhibitorij, & restitutorij S.C. in puncto nouiter prætensarum collectationum, accisiarum, licentiarum, impositionum, teloniorũ, aliarumque contributionũ, quibuscunq; nominibus appellari possint, memorati Cleri, ratione declarationis pœnæ & arctiorum processuum, facta imploratio & petitio pro hac vice adhuc recusatur; sed Dño Reo côuento & côsortibus, propositis exceptionibus nô obstantibus, ad fide dignè docendum, quod emanato, insinuato & reproducto Cæsareo mandato, iuxta eius côtenta, paritum & per omnia satisfactum sit, denuo & finaliter tempus duorum mensiũ, post insinuationẽ huius côputandum ex officio, & pro omni termino & prorogatione hisce statuitur & præfigitur: cũ hoc additamento, nisi huic paruerint, quod Rei conuenti oẽs & singuli nũc prout tunc, & tunc prout nunc, in pœnã memorato mandato insertam, declarati, petiti arctiores processus cum hoc decreti & ad restituendũ & soluẽdum conquerenti Clero huius occasione factas iudiciales expensas obligati esse debeant, Signatum Ratisbonæ, sub Cæsa. Maiestatis impresso secreto Sigillo, 20. Ian. Ann. 1637. Vt Petr. Henr. à Stralendorff Iohan. Soldner D.

L. E.

SVPPLICATIO AD EMINENTISSIMVM D. CARDINALEM LEGATVM DE LATERE.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME Domine Cardinalis, Legate de Latere, Dñe Clemẽtissime. Meminit Rev. S. Eminentia viros Ecclesiasticos, tanquam Præfectos Religionis, & bona Ecclesiastica ad augmentum diuini cultus consecrata, Iure diuino, naturali, & humano, ab omni Laicorum Iurisdictione exempta, & libera esse; & omnibus Laicis sub pœnis excômunicationis, *c. non minus de Immunit. Eccles.* & alijs grauissimis pœnis ciuilibus, in legibus Imperialibus, *l. priuilegia auth. cassa, & irrita, c. de sacrosanctis Eccl.* prohibitum esse, viros, & bona Ecclesiastica Laicali auctoritate angarijs, perangarijs, collectis vel contributionibus, grauare, vel onerare; sed si tanta occurrat necessitas, vt Laicorũ facultates, non suppetant, liberũ ipsis esse ab Episcopis, & Clericis charitatiuum subsidiũ petere; & hoc quod ipsi Episcopi, sine vlla necessitate conferendum duxerint; acceptare, *cap. Aduersus de Imm. Eccles.* Hinc oẽs ordinationes Imperij prouide conceptæ sunt, vt vrgente necessitate viri Ecclesiastici per Episcopos, & Archiepiscopos suos, nô vero per Laicos, in quorũ territorijs viuunt, pro subsidio requirantur; prout ex ordi-

 natione

quatenus supramemoratas extremas miserias nost... quibus detinemur, & quotidie periculosius inuoluimur, & subiugamur, ... apprehendere, tutelamq; deuotissimi Eminentiæ Vestræ Cleri, siue potius Patrimonij Dei patrocinium, suscipere dignetur, authoritate sua Apostolica, apud altememorat. Serenissimũ Principem interponendo, ac paterne, & efficaciter commonendo, vt tanquam Princeps Catholicus, ac Ecclesiæ filius obediens, memoratis Canonum ac Iurium dispositionibus se conformet, iustitiæ pareat, respiciat ad exempla illorum Principum, qui pro eo quod Ecclesiasticæ potestati & libertati fuerunt infensi, & in patrimoniũ Matris Ecclesiæ sacrilegas manus iniecerunt, secundum modum culpæ exciderunt à statu felicitatis, quo ad se, quoad liberos, quoad agnationẽ, quoad nobilitatẽ, quoad populos subiectos, prout latè Tho. Bozius in suo tractatu de Iure status li. 6. c. 10. prosequitur. Ne insuper contemnendo, siue neglectui habendo contra violatores Ecclesiasticæ Immunitatis fulminatas censuras tandem pœniteat, & eum penes quem est dicti Patrimonij possessio Regem Regũ, & Dominũ Dominantiũ (ad quem oppressionis & afflictionis nostræ continuæ lachrymæ & singultus ascẽdunt) illatæ nobis vsq; adeo enormis iniuriæ eo seuerius vindicem experiatur, quò magis hac belli tempestate durante, humana nobis auxilia ad vindicandã, & reparandã iura & damna nostra deficiunt, extremam hanc nostram necessitatem, fiduciamque, sicut & causæ iustitiam in sinum Eminentiæ Vestræ demissè reponentes, preces ac vota nostra pro eiusdem prosperitate deuotissimè simul offerentes.

L. F.

PVNCTA PER EMINENTISSIMVM D. CARdinalem, nuper Clero pro responso Serenis. Principis Neoburgici communicata.

1. Controuersiam hanc agitari iam annis 80. in Camera Spirensi, inde remissam esse Viennam.
2. Iuxta cõstitutiones Imperij A. 1555. 94. 98. Ecclesiasticos nõ esse imunes à tributis, quæ exigũtur pro cõmuni periculo Imperij, & Religionis Cathol.
3. Adfuisse ibi nuper L. Rensing, nomine Cleri, quem miratur non retulisse quid ipsi responsum fuerit.
4. Nescio quem alium virum doctum tractasse, de modo componendi hanc controuersiam, qui non displiceret.
5. Iam milites, & Nobiles Patriæ sibi vindicare omne Ius, & illos fortè exigere etiam à Clero tributa.
6. Se ab Anno 1635. nihil à Clero exegisse.
7. Ergo addit Clerum debere conqueri apud Ordines Patriæ.

REPLICA AD RESPONSVM SERENISSIMI.

AD 1. replicat Clerus controuersiam hanc An. 1529. Hæresi in Germania inualescente, à Cl[illegible] introductã in Imperiali Cam. Spirēsi, & cum plena causæ cognitione per sententiã definitiuã decisam, quæ postquã in rē iudicatã transijsset, Camera Imperialis, & ipsa S. C. M. sępius pro Executione rei iudicatæ requisita fuit, & diuersa mandata paritoria, exceptionib. in contrariũ motis reiectis, sub euētuali declaratione cōminatarum pœnarũ decreta sunt.

Ad 2. replicat, quod allegatæ ordinationes Imperij sint intelligēdæ iuxta priores de An. 1500. 1512. 1542. vbi salubriter ordinatũ, quod Ecclesiastici in casu extremæ necessitatis à suis Ordinarijs Ecclesiasticis in subsidiũ sint requirēdi, & quod summa placitata ab ijsdē Ecclesiasticis Superioribus sit colligēda, & in vsum cōmunis Imperij cōferenda; cũ expressa declaratiõe, quod à Laicis collectari nõ debeant, vti patet ex ordinatione Imperij *de anno 1542. fol. mihi* 271. §. Damit auch *vers.* Doch sollen; & ordinatiõe *de anno* 1500 *fol. mihi* 41. Quæ Canonicis ordinationib. cõuenit, prout patet *ex c. aduers. de Im. Eccl.* ad quod c. respexisse videtur Carolus V. in ordinatione Imperij de An. 1544. vbi se declarat pro collectãdo Clero Sanctissimũ requirendũ fol. mihi 297.

Ad 3. replicat, per L. Rensing relatum, quod, iuxta datã cōmissionem protestationē Cleri per assumptũ Notariũ, insinuari fecerit, & quod Notarius, maximã iniuriã Cleri, Dusseldorpij arrestatus, & in 5. diem contra Ecclesiasticam libertatem detentus fuerit. Ad 4 replicat, quod non recordetur Clerus alicui specialē commissionem datã; meminit tamē, quod in protestatione, 14. Mart. Serenissimo insinuata, sese declarauerit, quod in cōmunibus necessitatibus, debitè requisitus iuxta pręscriptũ canonũ sese accōmodare & subsidiũ cōferre velit. Ad 5. replicat, quod Clerus tã cōtra Status, quã Serenissimũ rem iudicatã, & paritoria mãdata pœnalia obtinuerit; & quod oēs ad paritionē teneãtur: & in casu vlterioris cōtrauentionis C. Maiestatem & S. Apostolicã implorandã. Ad 6. replicat, notoriũ esse ex diuersis mãdatis Serenissimi typo datis quod A. 1635. cōtributiones exactę sint, & quod Serenis. cōtributiones illo Anno 29. Aug. & 3 Sept. impositas nõ solũ vrserit; sed etiã certã bonorũ Ecclesiasticorũ descriptionē, in finē duriores collectas imponēdi, sibi dari mãdauerit: in specie, de dato Dusseldorpf 21. Nouēb. An. 1636. Itē cōstat ex literis Serenis. 7. Apr. An. 1638. datis, & illo anno cōtributiones ab Ecclesiasticis exactas: similiter cōstat ex literis Serenissimi, prætēsas quasdã restantias priorũ Annorũ via executiua extorqueri, & cōtra diuersa mēbra Cleri iã de facto executiue processũ esse, ita vt iã aliqui bona & Ecclesias suas deserere cogitēt & cogãtur. Ad 7 replicat, eius resolutionē patere ex suprapositis, cũ paritio rei iudicatæ, tã Serenissim. Principi, quã Statibus patriæ, & omnib. ministris incumbat, & Clerus eandē cōtra omnes vrgeat & intendat.

FINIS.

diendi, actaque, per quæ de grauaminibus deductis constet, examinandi; Ideoque ablegato Consiliario & Ministro responsum fuerit, vt Vestræ Cæs. Maiest. pro Commissarijs deputandis supplicarem, qui acta satis magna inspicerent, causam debitè examinarent, desuper proximis futuris Comitijs Imperialibus Vest. Cæs. Maiest. & communibus statibus referrent, postmodumque in causis, iuxta earum qualitatem, statueretur & reformatio fieret. Hinc humillimè supplico Vest. Cæs. Maiest. quatenus eadem dignetur præfatas causas aliquibus impartialibus Iurisconsultis, & quatenus Maiest. Vest. ita placuerit, Honestis, Doctissimisque Ioanni Friederer/ Nicolao Reuckhern/ Ioanni Pfaffen Schulteto Moguntinensi omnibus Illustriss. & ciuitatis Moguntinæ Incolis, coniunctim & diuisim gratiosè committere & demandare; vt mea Iudicisque Cameræ & Adsessorum vlteriora necessaria hincinde audiant proponenda; & extunc acta visitent, & primis Comitijs Imperialibus coram Vest. Cæs. Maiest. & communibus statibus, vel eis quos ad hoc deputari contigerit, debitè relationem faciant, vt tunc mihi Iustitia, & quod æquum est administretur, & interea temporis Iudici & Adsessoribus Cameræ inhibeatur, & interdicatur, ne quidquam vlterius in talibus causis agant & attentent; sed vsque ad vlteriorem Vest. Cæs. Maiest. & communium statuum ordinationem, in eis supersedeant, sub magna grauique pœna, iuxta causæ exigentiam. Illud erga V. C M. tanquam meum Clementis. Dñm, conabor ego etiam submissè demereri: V. Cæs. M. me humillime commendando. Datum in arce mea Hambach 24. Iunij, Anno 31. V Cæs. M. obediens: Iohannes Dux, Cliuiæ, Iuliæ & Montium. Deinde Clementissime Domine, si V. Cæs. M. non exhibeat se difficilem in exhibendo, Visitatoribus mea grauamina, ad effectum eadem examinandi, sibique desuper referri curandum, famulus meus præsentium lator, habet in mandatis Vest. Cæs. Maiest, eadem humillime etiam tradendi. Ex illis Vest. Cæs. M aperte colliget, quod hæc non aliter, quam mea maxima ineuitabili necessitate fiant. Datum vt in literis. In contrarium sæpe d. Doctor Fredericus cum protestatione, nullo modo ab omnibus obtentis sententijs & actis recedendo, iuxta nostras & Imperij nostri Constitutiones sustinuit, huiusmodi literis non attentis, causis & processibus in Camera nostra Imperiali introductis suum directum cursum relinquendum: præterea etiam pro conclusione causæ alias suas anteactas submissiones & acta repetijt; specialiter vero petijt vlterius in contumaciam Aduersarij huiusmodi causam pro conclusa acceptari, iuxta suam anteriorem petitionem definitiuè pronuntiari, & sibi iustitiam administrari: prout hoc ipsum & plura alia in actis Iudicialibus desuper habitis, vberius & latius descripta sunt. Quib. præuijs tandē in præfacto N. Cameræ Iudicio, post plenariam Visitationē ac examinationem

nem

nem omniū & singulorū huiusmodi actorū & propositionum hodie definitiua sentētia lata est, & publicata tenoris de verbo ad verbū subsequentis.

In causa cōmunis Cleri Coloniensis Actoris ex vna, & Domini Ioannis Ducis Iuliæ Rei ex altera partibus, visis omnibus Actis, decernimus quod prætacto Duci contra prætactum Clerum, deducto in actis modo, absque debito consensu, procedere eorum bona, reditus, & obuentiones, in eiusdem Ducatu & Dominijs situata, collectare & grauare nō licuerit; & quod propterea prætacto Clero Exactos & receptos, Census & obuentiones restituere & refundere teneatur: expensas hincinde hac in causa factas, ex causis mouentibus compensantes. Testantibus hisce literis nostro appendente Imperiali Sigillo sigillatis. Datum in nostra & Imperiali ciuitate Spirensi, 1 Octob. Anno post Christum natum 1533. Imperij nostri Romani 15. reliquorum vero 18. Ad mandatum Domini Imperatoris proprium. Vdalricus Wamubuler, Director subscripsit; Casparus Hamerstetter Iudicij Cameræ Imperialis Protonotarius subscripsit.

L. B.

MANDATVM POENALE SINE CLAVSVLA, INHIBITORIVM, CASSATORIUM, & Restitutorium de Anno 1625.

FERDINANDVS II. Dei Gratia Electus Rom. Imp. semper Augustus, Germ. Hung. Boh. Dalm Croat. &c. Rex; Archid. Austriæ; Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinth. Crainę & Wirtembergæ &c. Comes Tirolis &c. Illustrissimo Wolfgango Wilhelmo Palatino Rheni, Duci Bauariæ, Comiti in Veldentz, dilecto nobis Cognato, Affini, & Duci; similiter Nobilibus, nobis & Imperio dilectis fidelibus, N. Cameræ Præsidenti, Cancellario, Consiliarijs, Vniuersalibus Statibus, Amptmannis, Præfectis, Iudicibus, Constitutis Accisiarum Magistris & Pachtarijs in Ducatibus Iuliæ & Montium; beneuolentiam, Cæsareamque gratiam offerimus, & notum hisce facimus; quod honorabilis, no-

bis dilectus, deuotus Vniuersalis Clerus, Archidiœcesis Coloniensis, humillimè supplicando narrauerit: quamuis vterque tam Ecclesiasticus, quam Secularis supremus Magistratus, Pontifices Romani, & gloriosissimæ memoriæ Romani Imperatores & Reges, Prædecessores & Maiores nostri, in Imperio, ex singulari zelo, pro cultu Dei, eiusque Ecclesiæ honore ac ministerio, melioreque sustentatione ministrorum Ecclesiæ & appertinentium inducti, non solum in communi omnes Ecclesiasticos, cuiuscunque status & dignitatis sint, eorumque prædia, bona & reditus, vbicunque locorum sitos, sicut etiam eorundem ministros, Pachtarios & Colonos, ab omni secularis status Iurisdictione, coarctatione & citatione, prout & à seruitijs, côtributionibus, collectis, grauaminibus, quocunque nomine eadem imponi atque iniungi possent, publicis Imperialibus Ordinationibus atque constitutionibus in corpore Iuris clausis; Verum etiam in specie Coloniensem primarium, secundarium, & reliquum Clerum, sub quo Metropolitanum, & alia insignia Capitula, Abbatiæ, & Monasteria comprehenduntur, totaliter & plenè exemerint ac liberarint; ita vt nulli Magistratui aut Superiori seculari licitum sit, irrequisito quouis Ecclesiastico Ordinario, propria voluntate & beneplacito, per se aut suos, eorum prædia, curtes, bona, census & reditus aut Colonos & Pachtarios, multò minus suæ ditioni non subiectos, exactionibus, contributionibus, accisijs vel seruitijs, angarijs aut parangarijs onerare, vllamque iurisdictionalem potestatem in eos exercere; multò minus expandationibus, atque alijs prohibitis militaribus executionibus, de facto ad ista vrgere & constringere: Verum, sicut specialiter & solummodo Ecclesiasticæ potestati vniti ac subiecti sunt; ita etiam vrgente necessitate eidem de omnibus bonis suis vbicunque locorum sitis, secundum antiquam consuetudinem, tantummodo debitam suam quotam soluere & præstare teneantur, prout supplicans Clerus in horum omnium quieta possessione vel quasi à centum & pluribus annis, vltra hominum memoriam, fuit meritò adhuc est & manere debet; Quamuis præterea, cum ante complures annos fœl. recordationis Ioannes, & consequenter Wilhelmus ac Io. Wilhelmus Duces Iuliæ, Cliuiæ ac Montium, contra prædictas exemptiones, libertates ac priuilegia totum Clerum Archidiœcesis Colon. similibus impositionibus, contributionibus, & accisijs grauare, easdem de facto vsurpatis expandationibus, ac militaribus executionibus, à colonis & pachtarijs, ratione ab ijsdem possessorum prædiorum ac bonorum Ecclesiasticorum, contra Ius extorquere conarentur, tam à Cleri antecessoribus, quam eo tempore existentibus Archiepiscopis & Electoribus Coloniensibus in quorum damnum & præiudicium hæc vergebant, apud Iudicium Cameræ Spirensis processus, & Mandata pœnalia sine clausula impetrata sint; in eoq; puncto,

ante nonaginta & pluresannos,& nominatim 1.Octob.1533. iudicialiter, ex Actis iudicatum, quod altè memoratis Ducibus non licuerit, supplicantis Vniuersalis Cleri, vti in Actis deductum, sine debito ac decente consensu, in eorundem Ducatibus & Prouincijs sita bona, redditus & census impositionibus ac contributionibus grauare; ideoque obligati sint memorato Clero ablatos atque receptos census & reditus refundere ac restituere: neque ea solum iustè & æquitati conformiter lata sententia ante plurima tempora vim & effectum rei iudicatæ sortita sit, verum etiam, cum vterque postremo defunctus Dux Iulius rursus, ex aliorum hominum mala informatione & suggestione, Cleri bona & prædia, sub communi patriæ contributione & accisijs comprehendere proposuisset, iteratò per diuersos recessus, 13. Martij Anno 1570. 27. Ian. & 21. Iunij Anno 1571. & 21 Februarij Anno 1575. irrelevantibus contradictionibus non attentus, restitutio eorum, quæ pro ratione harum petitarum contributionum atque accisiarum contra Iura, & de facto per captionem pignorum extorta sunt cum plenaria restitutione in integrum, demandata fuerit, prout postmodum contra eiusmodi supra allegatis sententijs, & recessibus contraria attentata & prohibitas turbationes, diuersa quoque rigorosa Mādata sine clausula decreta emanatint; quorum omnium consideratione, insuperque Iuris communis, tam Canonum, quam legum ciuilium dispositionis attentione; sicut & S.Rom. Imperij diuersarum ordinationum & constitutionum; specialium quoque Imperatorum & Regum priuilegiorum obseruatione; demum & sententiarum ac decretorum apud summum Iustitiæ tribunal, cum plena causæ cognitione, reiectis omnibus contradictionibus, iam pridem, & nunc breui, obtentorum intuitu, præmemoratus Clerus, & eorundem Coloni, reditus & census ab omni vlteriori molestatione & exactionibus, contributionibus ac accisijs eximi & liberari, ac in libertate sua manere merito debeant, nec in ijs aliquo modo de nouo molestari: Quod tamen è diametro contraueniendo his omnibus Tua dilectio, ante à nobis in dictis Ducatibus & Regalibus habitam infeudationem, fortè ex sinistra informatione iam præteritis annis præsumpserit & attentauerit de facto à Cleri colonis & pachtarijs, ratione in Ducatibus Iuliæ & Montium sitorum Ecclesiasticorum prædiorum, redituum, ac censuum, communem patriæ contributionem, seruitij & libertatis nummum, aut sub quibuscunque nominibus id fieri possit, exigere; eosque ad beneplacitum ad certam quotam collectare; singulis quoque mensibus de quolibet maldro frumentorum, præter decimum nummum, octo denarios Colonienses extorquere; sicque primò fundum, deinde simul quicquid ex eo in bonis annis excrescere potuisset, taxare: non attento, quod pachtarij ob continuam militum sustentationem, sterilitatem, damnum

 gran-

grandinis,& alias quotidianas grauissimas molestationes, integram pactam longè soluere nequiuerint; Ipsos etiam de Clero Clementissimo Domino suo Electori Coloniensi, pro communi necessitate patriæ, iuxta debitum, contribuentes, iterum intollerabilibus inauditis duplicatis, imò ter & sæpiùs multiplicatis oneribus grauare,idque captionibus pignorum,fructuum distractionibus & alijs militaribus vsurpatis executionibus vna cum extorsione desuper causatarum expensarum;adeo vt in quibusdam locis eorum Coloni curtes & prædia omnino deserere & ab ijsdem discedere summa vrgente necessitate compellantur,ipse vero Clerus parum vel nihil bonis suis frui possit. Quod præter hæc omnia,Dil. Tua Anno 24. proximè præterito 28. Aprilis, cum consensu statuum patriæ, vigore cuiusdam putatitij patriæ recessus,super omnibus externis, ad & transuectis aut transuehendis bonis & mercibus,vti etiam ex ipsis prouincijs prouenietibus & prouenturis frumentis,natis nasciturisq; pecoribus,super vino,cereuisia &c. sub pœna confiscationis tam mercium,quam equorum & curruum, inauditam nouam accisiam,in vicinorum omnium & mercatorum maximum detrimentum ac querelam, contra constitutiones Imperij de nouis vectigalibus non erigendis,imponi & publicari iusserit; & certas quasdam personas ad collectandum vigesimum nummum constituerit & ordinauerit, ita vt ex inde immodica omnium mercium ac victualium in istis partibus annona sit, pertimescenda. Quæ omnia cum Iuri Pontificio & Cæsareo, Imperialibus constitutionibus;sicut quoque,in Corpore Iuris expresse clausis, priuilegijs & immunitatibus directè contraria sint; præterea in Vilipendium rei iudicatæ,sicut etiam in præiudicium supremæ Imperialis nostræ authoritatis,& reseruatæ Superioritatis, notoriè tendant; & in eum finem tractentur & attentetur,vt Ecclesiastici paulatim suis longissimorum temporum & per iudicatum confirmatis Iuribus Priuilegijs, immunitatibus ac libertatibus destituti,in perpetuam subiectionē & seruitutem conijciantur; nihilque aliud exinde quam confusio Iurisdictionum,quamque ob defectum necessariæ sustentationis non tam diminutio,quam finalis interitus Ecclesiastici status, quam & mera religionis prophanatio, damnumque irreparabile necessariò consequi debeat: cumque hæc contra bonum & incolumitatem publicam directè tendant;taliaque sint, quæ nullo prætextu Iuris iustificari queant;sed potius sine mora absque vlteriori cognitione à Nobis,tanquam supremo capite, per mandata sine clausula aboleri ac in pristinum statum restitui possint ac debeant. Hinc præmemoratus Clerus, cum debita submissione supplicādo quam humilimè,Nos implorauit & orauit,vt Nos, tanquam Sac.Rom Imperij supremum caput,& Summus Defensor Ordinis Ecclesiastici,illis maturo auxilio Iuris clementissimè succurreremus, atq; etiā congrua

congrua Mandata & citationes contra T.Dil.& Vos gratiosissime decernemus, prout etiam (cum omnibus Iustitiam administrare tam obligati, quā proni simus) hodie præhabita matura huius causæ declaratione sequens Mādatum & citationem expediendum esse, decreuimus. Quare Dil. Tuæ, vti etiam vobis præfatis Cameræ Præsidenti, Cancellario, Consiliarijs, generalibus Patriæ Statibus, Amptmannis, Præfectis, Ordinatis, Accisiarum magistris, & Pachtarijs, in Ducatibus Iuliæ & Montium, authoritate Cæsarea, sub pœna centum marcarum auri puri, pro medietate Fisco Cæsareo, & altera medietate præfato Cleto, irremissibiliter soluenda, hisce seriò mandamus & volumus, vt Dil. T.& Vos, non attentâ præmemorata prætensa conclusione in Conuentu patriæ facta, (quam in hisce nullam, inefficacem, ac per se inualidam esse ex officio Imperiali declaramus ac tollimus) antememorati Cleri Colonos, prædia, & in dictis Ducatibus ac prouincijs sitos reditus & census, in antiquissima eorundem libertate, Priuilegijs & Exemptionibus quietos relinquatis, contra hæc, prout & contra id, quod per tot sententias & res iudicatas obtentum est, non grauetis, nec molestetis, aut per alios grauari aut molestari permittatis; recenterque institutas Accisias, Licentias, Impostas, Telonia, Vectigalia, contributiones quocunque nomine appellentur, tollatis; sæpius memorati Cleri reditus ac obuentiones, sine aliqua impositione tutò ac liberè duci & educi sinatis; & si quid contra hæc hucusque de facto via expandationum & realium executionum attentatum & extortum fuerit, cassetis, tollatis & respectiue plenariè restituatis; in futurum, etiā per præstationem solitæ cautionis, similia non iteretis, nec secus faciatis aut immorigeros vos exhibeatis. Si modo Dil.T & Vos antedictam pœnam euitare volueritis. Hoc seriò intendimus & volumus. Præterea Dil.T.& Vos post insinuationem huius Mandati nostri Cæsarei, infra duos Menses, quos Dil.T.& Vobis pro 1.2.3. ac postremo die Iudiciali præfigimus ac nominamus peremptoriè; aut si ille iudicialis non fuerit, proximo iudiciali sequente, personaliter aut per Procuratorem vestrum, in aula nostra Cæsarea (vbicunque locorum fuerit) compareatis, ad fidem faciendum & docendum; quod huic Mandato nostro Imperiali iuxta inibi contenta obedienter paritū sit; quod si verò nō, tūc ad videndū & audiendū Dil. T. & Vos, ob inobedientiā, in prætactā pœnā incidisse, per sententiā & de Iure pronunciari, decerni ac declarari, siue Dil.T. & Vos in termino præfixo veniatis ac cōpareatis, siue nō, nihilominus ad obtēperantis partis vlteriorē instantiā & petitionē, hac in causa in præfatis, sentētia, declarationib. & decretis tractabitur & procedetur, prout decet & iuris est. Iuxta hæc Dil. T. & vos regulare vos potestis. Datū in Vrbe N. Viēna 27. die, mēsis Iunij An. 1625. Regnorū NN. Romani 6. Hungarici 7. & Bohomici 8. FERD:NAND. Vt Petrus Henr. à Stralendorff. Ad Mandatū S. Cæs. Maiestatis proprium, I. R. Pucher.

L. C.

SENTENTIA PARITORIA CVM EVENTVALI DECLARATIONE DE Anno 1636.

IN causa N. & N. Vniuersalis Cleri Diocœsis Coloniensis actorum, ex vna: contra & aduersus D. Comitem Palatinum Wolffgangum Wilhelmum in Newburg, eiusq; putatiue constitutos Cameræ Præsidentes, Cancellarium, Consiliarios, vniuersos Status patriæ, Amptmannos, Præfectos, constitutos accisiarum Magistros & Pachtarios, in Ducatibus Iuliæ & Montium Conuentos, ex altera partibus; mandati pœnalis, cassatorij, inhibitorij & restitutorij sine clausula, in puncto nouiter prætensarum collectationum, accisiarum, licentiarum, impositionum, teloniorum, & eiusmodi quomodocunque appellari possint, petitione & imploratione Cleri ratione aliorum processuum pro tempore recusata; Reis conuentis, pro parte ipsorum exhibitis exceptionibus non obstantibus, quod emanato insinuato, & reproducto Cæsareo mandato per omnia paritum & realiter satis factum sit, adhuc tempus trium mensium, quamprimum ab insinuatione & traditione harum computandum, ex officio, & pro omni termino & prorogatione, per præsentes statuitur & præfigitur: cum hoc additamento, nisi hæc ita peregerint, quod ipsi conuenti, oés & singuli ex nunc, prout ex nunc, & ex tunc prout ex nunc, in pœnam memorato mandato insertam, declarati, & petiti arctiores processus decreti, & conquerenti Clero ad restituendum & soluendum desuper causatas iudiciales expensas, iudiciali moderamine saluo, obligati sint & teneantur: Interim vero Rei conuenti contra in memorato mandato decretam inhibitionẽ lite pendente à querulatis & etiamnum continuatis, iniustè extortis collectationibus, quouis nomine appellentur, totaliter & per omnia abstinebunt & acquiescent. Signatum Viennæ sub Cæs. Maiest secreto Sigillo 13. Mart. Anno 1636. Vt. Petrus Henr. à Stralendorff. Iohan. Soldner.

L. D.

ITERATA SENTENTIA PARITORIA CVM EVENTVALI DECLARATIONE, de Anno 1637.

IN causa Vniuersalis Cleri Diocœsis Coloniensis actoris ex vna, contra & aduersus Comitem Palatinum Wolffgangum Wilhelmum in Newburg, eiusque putatiuè constitutos Cameræ Præsidentes, Cancellarium, Consiliarios, Vniuersos Sta-

tus Patriæ, Amptmannos, Præfectos, constitutos Magistros Monetarum, & Pachtarios in Ducatibus territorijs Iuliæ & Montium reos conuentos ex altera partibus, mandati pœnalis Cassatorij, inhibitorij, & restitutorij S.C. in puncto nouiter prætensarum collectationum, accisiarum, licentiarum, impositionum, teloniorũ, aliarumque contributionũ, quibuscunq; nominibus appellari possint, memorati Cleri, ratione declarationis pœnæ & arctiorum processuum, facta imploratio & petitio pro hac vice adhuc recusatur; sed Dño Reo côuento & côsortibus, propositis exceptionibus nõ obstantibus, ad fide dignè docendum, quod emanato, insinuato & reproducto Cæsareo mandato, iuxta eius côtenta, paritum & per omnia satisfactum sit, denuo & finaliter tempus duorum mensiũ, post insinuationẽ huius côputandum ex officio, & pro omni termino & prorogatione hisce statuitur & præfigitur: cũ hoc additamento, nisi huic paruerint, quod Rei conuenti oẽs & singuli nũc prout tunc, & tunc prout nunc, in pœnã memorato mandato insertam, declarati, petiti arctiores processus cum hoc decreti & ad restituendũ & soluendum conquerenti Clero huius occasione factas iudiciales expensas obligati esse debeant. Signatum. Ratisbonæ, sub Cæsa. Maiestatis impresso secreto Sigillo, 20. Ian. Ann. 1637. Vt Petr. Henr. à Stralendorff Iohan. Soldner D.

L. E.

SVPPLICATIO AD EMINENTISSIMVM D. CARDINALEM LEGATVM DE LATERE.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME Domine Cardinalis, Legate de Latere, Dñe Clemẽtissime. Meminit Rev. S. Eminentia viros Ecclesiasticos, tanquam Præfectos Religionis, & bona Ecclesiastica ad augmentum diuini cultus consecrata, Iure diuino, naturali, & humano, ab omni Laicorum Iurisdictione exempta, & libera esse; & omnibus Laicis sub pœnis excõmunicationis, *c. non minus de Immunit. Eccles.* & alijs grauissimis pœnis ciuilibus, in legibus Imperialibus, *l. priuilegia auth. cassa, & irrita, c. de sacrosanctis Eccl.* prohibitum esse, viros, & bona Ecclesiastica Laicali auctoritate angarijs, perangarijs, collectis vel contributionibus, grauare, vel onerare; sed si tanta occurrat necessitas, vt Laicorũ facultates, non suppetant, liberũ ipsis esse ab Episcopis, & Clericis charitatiuum subsidiũ petere; & hoc quod ipsi Episcopi, sine vlla necessitate conferendum duxerint; acceptare, *cap. Aduersus de Imm. Eccles.* Hinc oẽs ordinationes Imperij prouide conceptæ sunt, vt vrgente necessitate viri Ecclesiastici per Episcopos, & Archiepiscopos suos, nõ vero per Laicos, in quorũ territorijs viuunt, pro subsidio requirantur; prout ex ordi-

quatenus supramemoratas extremas miserias nostras, quibus detinemur, & quotidie periculosius inuoluimur, & subiugamur, ... apprehendere, tutelamq; deuotissimi Eminentiæ Vestræ Cleri, siue potius Patrimonij Dei patrocinium, suscipere dignetur, auctoritate sua Apostolica, apud altememorat. Serenissimu Principem interponendo, ac paterne, & efficaciter commonendo, vt tanquam Princeps Catholicus, ac Ecclesiæ filius obediens, memoratis Canonum ac Iurium dispositionibus se conformet, iustitiæ pareat, respiciat ad exempla illorum Principum, qui pro eo quod Ecclesiasticæ potestati & libertati fuerunt infensi, & in patrimoniu Matris Ecclesiæ sacrilegas manus iniecerunt, secundum modum culpæ exciderunt à statu felicitatis, quo ad se, quoad liberos, quoad agnatione, quoad nobilitate, quoad populos subiectos, prout late Tho. Bozius in suo tractatu de Iure status li. 6. c. 10. prosequitur. Ne insuper contemnendo, siue neglectui habendo contra violatores Ecclesiasticæ Immunitatis fulminatas censuras tandem peniteat, & eum penes quem est dicti Patrimonij possessio Regem Regu, & Dominu Dominantiu (ad quem oppressionis & afflictionis nostræ continuæ lachrymæ & singultus ascedunt) illate nobis vsq; adeo enormis iniuriæ eo seuerius vindicem experiatur, quo magis hac belli tempestate durante, humana nobis auxilia ad vindicanda, & reparanda iura & damna nostra deficiunt, extremam hanc nostram necessitatem, fiduciamque, sicut & causæ iustitiam in sinum Eminentiæ Vestræ demissè reponentes, preces ac vota nostra pro eiusdem prosperitate deuotissimè simul offerentes.

L. E.

PVNCTA PER EMINENTISSIMVM D. CARdinalem, nuper Clero pro responso Serenifs. Principis Neoburgici communicata.

1. Controuersiam hanc agitari iam annis 80. in Camera Spirensi, inde remissam esse Viennam.
2. Iuxta cõstitutiones Imperij A. 1555. 94. 98. Ecclesiasticos nõ esse imunes à tributis, quæ exigũtur pro cõmuni periculo Imperij, & Religionis Cathol.
3. Adfuisse ibi nuper L. Rensing, nomine Cleri, quem miratur non retulisse quid ipsi responsum fuerit.
4. Nescio quem alium virum doctum tractasse, de modo componendi hanc controuersiam, qui non displiceret.
5. Iam milites, & Nobiles Patriæ sibi vindicare omne Ius, & illos fortè exigere etiam à Clero tributa.
6. Se ab Anno 1635. nihil à Clero exegisse.
7. Ergo addit Clerum debere conqueri apud Ordines Patriæ.

REPLICA AD RESPONSVM SERENISSIMI.

AD 1. replicat Clerus controuersiam hanc An.1529. Hæresi in Germania inualescente, à Clero introductā in Imperiali Cam. Spirēsi, & cum plena causæ cognitione per sententiā definitiuā decisam, quæ postquā in rē iudicatā transijsset, Camera Imperialis, & ipsa S. C. M. sępius pro Executione rei iudicatæ requisita fuit, & diuersā mandata paritoria, exceptionib. in contrariū motis reiectis, sub euētuali declaratione cōminatarum pœnarū decreta sunt.

Ad 2. replicat, quod allegatæ ordinationes Imperij sint intelligēdæ iuxta priores de An.1500.1512.1542. vbi salubriter ordinatū, quod Ecclesiastici in casu extremæ necessitatis à suis Ordinarijs Ecclesiasticis in subsidiū sint requirēdi, & quod summa placitata ab ijsdē Ecclesiasticis Superioribus sit colligēda, & in vsum cōmunis Imperij cōferenda; cū expressa declaratiōe, quod à Laicis collectari nō debeant, vti patet ex ordinatione Imperij *de anno 1542, fol. mihi 271.* §. Damit auch *vers.* Doch sollen; & ordinatiōe *de anno 1500 fol. mihi 41.* Quæ Canonicis ordinationib. cōuenit, prout patet *ex c. aduers. de Im. Eccl.* ad quod c. respexisse videtur Carolus V. in ordinatione Imperij de An.1544. vbi se declarat pro collectādo Clero Sanctissim. ū requirendū fol. mihi 297.

Ad 3. replicat, per L. Rensing relatum, quod, iuxta datā cōmissionem, protestationē Cleri per assumptū Notariū, insinuari fecerit, & quod Notarius, maximā iniuriā Cleri, Dusseldorpij arrestatus, & in 5. diem contra Ecclesiasticam libertatem detentus fuerit. Ad 4 replicat, quod non recordetur Clerus alicui specialē commissionem datā; meminit tamē, quod in protestatione 14. Mart. Serenissimo insinuata, sese declarauerit, quod in cōmunibus necessitatibus, debitē requisitus iuxta pręscriptū canonū sese accōmodare & subsidiū cōferre velit. Ad 5. replicat, quod Clerus tā cōtra Status, quā Serenissimū rem iudicatā, & paritoria mādata pœnalia obtinuerit; & quod oēs ad paritionē teneātur: & in casu vlterioris cōtrauentionis C. Maiestatem & S. Apostolicā implorandā. Ad 6. replicat, notoriū esse ex diuersis mādatis Serenissimi typo datis quod A.1636. cōtributiones exactę sint, & quod Serenis. cōtributiones illo Anno 29. Aug. & 3 Sept. impositas nō solū vrserit; sed etiā certā bonorū Ecclesiasticorū descriptionē, in finē duriores collectas imponēdi, sibi dari mādauerit: in specie, de dato Dusseldorpf 21. Nouēb. An.1636. Itē cōstat ex literis Serenis. 7. Apr. An.1638. datis, & illo anno cōtributiones ab Ecclesiasticis exactas: similiter cōstat ex literis Serenissimi, prætēsas quasdā restantias priorū Annorū via executiua extorqueri, & cōtra diuersa mēbra Cleri iā de facto executiue processū esse, ita vt iā aliqui bona & Ecclesias suas deserere cogitēt & cogātur. Ad 7 replicat, eius resolutionē patere ex suprapositis, cū paritio rei iudicatæ, tā Serenissim. Principi, quā Statibus patriæ, & omnib. ministris incumbat, & Clerus eandē cōtra omnes vrgeat & intendat.

FINIS.